Groningen, 1809

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

D E

FEBRE INTERMITTENTE.

Q U A M,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

ALB. JAC. DUIJMAER VAN TWIST,

I. U. D., Iur. Civ. et Hodierni Prof. Ordin.

UT ET

Amplisſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu, et Nobilisſimae FACULTATIS MEDICAE Placito,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis rite ac legitime capesſendis,

Eruditorum examini ſubmittit

LAMBERTUS REINIER MULLER,

UITHUIZA-OMLANDUS.

Ad diem X X Julii CIƆIƆCCCIX. *H. L. Q. S.*

GRONINGAE,
Apud H. EEKHOFF, H. FIL.
MDCCCIX.

VIRO EXPERTISSIMO

JOANNI LEONARDO MULLER,

CHIRURGO ET MEDICINAE PRACTICO,

PATRI OPTIMO, INDULGENTISSIMO, AD ROGUM USQUE OMNI FILIALI AMORE COLENDO.

UT ET

VIRO CLARISSIMO

PETRO DRIESSEN,

MED. DOCT. MED. CHEM. MAT. MED. BOTAN. ET HIST. NATUR. PROFESSORI ORDINARIO, PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO.

NEC

NEC NON

VIRO CLARISSIMO

EVERARDO JOANNI

THOMASSEN A THUESSINK,

A. L. M. MED. ET PHIL. DOCT. ORDINIS REGII HOLLANDICI EQUITI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, MED. PRACT. ET FORENS. PROFESSORI ORDINARIO, ET NOSOC. ACAD. PRAEFECTO, PRAECEPTORI AC PROMOTORI EXOPTATISSIMO.

UT ET

VIRO CLARISSIMO

JOANNI MULDER,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCT. PHYSIOL. ANAT. CHIRURG. ET ARTIS OBSTETR. PROFESSORI ORDINARIO, PRAECEPTORI HONERATISSIMO.

DENIQUE

COMMILITONIBUS ATQUE AMICIS.

Hasce ſtudiorum primitias.

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

Introductio.

Febris Intermittens nostrae regionis mari vicinae morbus endemicus, inde a biennio, ibidem adeo epidemica est reddita, ut neminem fere reliquerit immunem. Frequentius itaque hunc morbum, et sub patris auspiciis, et in Nosocomio Clinico videre mihi licuit, et decursum atque curationem multiplicem observare.

 Quam-

Quamvis autem hicce morbus inter familiares maxime et saepius descriptos pertineat, tamen mihi ipsi non inutilem laborem suscepturum esse censui, si diligentius in morbum popularem, frequenter in posterum mihi curandum inquirerem.

In amplissima autem hac materia brevissime, speciminis loco pertractanda, ita versabor, ut agam.

1°. De Symptomatibus F. I.

2°. De varia hujus specie et diversitate.

3°. De exitu vario, et sequelis.

4°. Tradam hujus morbi aetiologiam.

5°. Naturam.

6°. Diagnosin, et Prognosin.

7°. Varia Curationis momenta exhibeam.

CA-

CAPUT I.

Definitio et *Symptomata.*

§ 1.

Febris Intermittens illa nobis dicitur, quae non aliarum febrium more, ab ipso initio ad finem morbi, uno continuo filo cursum suum absolvit, donec vel sanitas redeat, vel moriatur aeger, sed, quae ex serie quasi accessuum sibi similium conflatur, qui post aliquot horas cessant, et tempus a febre immune relinquunt, denuo stato vel irregulari tempore redituri. Hinc recte F. J. definit FRANKIUS (*a*) ,, Febris ,, primaria, ex pluribus, dato fere tempore recur- ,, rentibus, paroxysmis, et intervallis vel mox vel ,, tardius liberioribus composita, periodica intermit- ,, tens legitima dicenda est." Etenim illa, quam habet CULLENUS (*b*), definitio omni numero absoluta

(*a*) Epitom. de cur. hom. morb. T. I. pag. 36.
(*b*) Nos. Meth. T. II. p. 45.

luta non videtur. STRACKIUS (*c*) brevisfime definit intermittentem febrem, „quae certos inter cir„ cuitus requiem relinquit."

§ II.

Licet quaelibet F. J. fpecies fua propria habeat fymptomata, quibus a reliquis distinguatur, tamen generalia juvat memorare, quae omnibus fpeciebus communia funt.

§ III.

F. J. pro vario fuo genio varia habet terrentia, vel φοβερα, quae autem nimis inconftantia funt, quam ut pro generalibus fymptomatibus haberi posfint, et hinc potius ad varias fpecies vel varietates pertineant. — In omni autem F. J. tria occurrunt ftadia, quae, modo regularis fit et impermixta, in qualibet ipfius fpecie, plus minus distincte obfervantur.

§ IV.

Primum, a quo incipit intermittens, est ftadium frigoris, illudque fe fequentibus prodit phoenomenis. In-

(*c*) Obf. Med. de febr. int. p. 2. Plura habet TRNKA DE KRZOWITZ hist. febr. int. Vol. I. BURSERIUS inft. med. T. I. p. 14.

Incipit vulgo accessus cum torpore ad motum, lassitudine ac dedolatione universali, cum oscitatione, pandiculatione, universali languore, dolore praecipue in dorso, et constrictione scrobiculi. Accidit simul, vel brevi post succedit frigus, quod non tantum in externis corporis partibus percipitur, sed etiam ad interiora penetrat. Illud frigus non solum consistit in sensatione nervosa sola, sed HAENIUS, aliique etiam recentiores observarunt caloris, ope thermometri detegendi, veram imminutionem (*d*.) Interim illud pro generali non habendum est regula; saepe enim deteximus verum ope thermometri caloris incrementum, licet de gravi frigore aegri conquererentur. Sub hoc frigore simul oritur tremor notabilis, et non raro adeo gravis, ut dentes graviter illidantur, aliquando adeo insignis est haec conquassatio, ut dentes ex ore frustatim decidant (*e*). —— Differt tamen multum in variis casibus et epidemiis illud frigus, ita ut in aliquibus illud valde leve, et brevis durationis, in aliis gravissimum et diuturnum observaverimus. —— Durante hoc stadio contrahitur et pallescit cutis, eaque anserina fit; labia pallescunt ac livida fiunt, illud quod etiam in digitorum et nasi apicibus maxime fit conspicuum. ——

 Ali-

(*d*) Vid. Cl. BURS. instit med. T. I. p. 77. in nota.
(*e*) Vid. HECKER, kunst die kr. der menschen zu heilen, T. I. p. 248.

Aliquando ille livor adeo est insignis, ut partes nonnullae corporis prorsus livescant. Cl. SENAC vidit mulierem, cui in frigore febrili nasus coeruleo colore suffundebatur, et aliquando maculis fusco coeruleis cutis interstincta apparebat (*f*). Nec et semper illud frigus totum aequabiliter occupat corpus, sed aliquando solum brachium, aliquando unum tantum latus, vel et partes inferiores aut superiores solae frigent (*g*). ——

Duratio frigoris quoque valde est varia, ita ut nunc per plures horas, nunc tantum per semihoram, vel et brevius duret. —— Interea magna adest cutis insensilitas, ita ut ex levi inflicto vulnere, nullus percipiatur dolor, imo et ignem pedibus admotum non senticrint febricitantes. ——

Pulsus in hoc stadio parvus, in initio ordinario tardus et lentus est, dein fit celerior, et contractus. —— Respiratio anxia, parva, tremula et frigida est, non raro cum cordis palpitatione conjuncta. Singularis est observatio, quam primus fecit Cl. A. LE ROIJ (*h*), dein confirmavit nuperius Cl. PAR-ROT

(*f*) De rec. feb. int. et remitt. nat. Cap. V & VI. et STOERCK ann. med. II. p. 167.

(*g*) Plura videantur apud VOGEL, Handb. T. I. pag. 33 et 34.

(*h*) Med. Zeit. 1808. T. II. p. 309.

ROT (*i*), quod aër in hocce stadio in pulmonibus non decomponatur, atque hinc colorem coeruleum pro parte derivavit. Bis nuperius in Nosocomio clinico, in stadio frigoris febris intermittentis tertianae aërem exspiratum exposuimus infuso heliotropii, quod tamen colorem rubrum acquisivit, uti et aquae calcis, in qua praecipitatio utique oriebatur, licet mutatio non adeo esset magna, ac ea, quam aër a sano exspiratus homine efficiebat. — Adest in hoc stadio oris siccitas, et multa sitis; ventriculus quaevis nauseat, et non raro vomitus adest continuus. Alvus ordinario obstructa est, et urina nulla, vel pallida et spasmodica.

In plurimis casibus, a nobis observatis, vehemens aderat cephalea; dolor vulgo adest contundens artuum et lumborum, maxime in iis partibus, quae antea contusae, vel fractae fuerunt. Fonticuli, vel cortex timeleae, et vulnera sub hoc stadio sicca fiunt.

Vires corporis imbecilles sunt, et mentis facultates, licet non semper, tamen saepissime multum patiuntur.

Hujus stadii duratio differt non tantum pro vario typo, sed etiam pro varia epidemica constitutione, et complicatione. Longum certe est frigus, quod per

(*i*) HUFELAND *Med. bibl.* vol. XX. Suppl. p. 390.

per 3 vel 4 horas durat, vidit Cl. A. DE HAEN (*k*) per 12 horas frigus durasſe; illud autem ad anomalias pertinere videtur.

Gradu ſimiliter et intenſione valde differt frigus; Formatae febres ordinario frigus magis habent evolutum, quam incipientes, et non plane formatae. Licet illud non ſemper locum habeat, tamen plerumque mitius deprehenditur frigus in tertianis et quotidianis, quam in quartanis febribus.

§ V.

Stadio frigoris abſoluto, non ſtatim ſuccedit calor, ſed primo, ut recte monet GRANTIUS (*l*), ſequitur ſtatus *atoniae*, ex ſpasmo febrili ſeſe ſenſim reſolvente, oriundus. Frigus enim ſenſim remittere incipit, et primo cum calore alternat. —— Æger fit magis compoſitus, et ſymptomata primi ſtadii disparere incipiunt: reſpiratio ſit liberior cum ſuſpiriis interrupta; pulſus fit liberior, plenus et durus; ſiccitas oris et labiorum antea praeſens evanescit. Percipit nunc aeger calorem circa pectus, ſeſe ſenſim per univerſum corpus diffundens, lente increscens, tandemque ardens fit; ſitis nunc iterum augetur; Facies, oculi et totum corpus aequabili rubore per-

(*k*) Rat. Med. T. XI. p. 10.

(*l*) *On fevers* pag. 11.

perfunduntur; oculi prominent et lucis impatientes ſunt; auditus acutus adeo fit, ut aegre ſtrepitum ferant; appetunt aegri maxime potum frigidum et acidulum; augetur capitis dolor, isque vehemens, et pulſatorius evadit. Vomitus autem cesſat et univerſalis dedolatio minuitur. In hoc ſtadio ſaepe delirium accidit. —— Sub his non raro in ſomnum incidunt inquietum, a quo ſaepe evigilant. Valde ſenſiles ſunt ad quamvis etiam frigoris ſenſationem, ita ut ſi ſtragula ad calorem moderandum paulisper tollantur, iterum horripilationem ſubeant.

Si Febris maxime regularis est, illud ſtadium priori est proportionale; interim haec regula multam patitur exceptionem. Durat illud per unam alteramve horam, aliquando ad 3 imo 6 horas extenditur.

§ VI.

Continuat calor usque dum ad certum pervenerit faſtigium, tandemque lente iterum decrescit, et levis mador percipitur in fronte et palmis manuum, qui ſe paullatum per totum corpus dispergit, et in copioſum ſudorem tranſit. Hicce ſudor pinguis est, et odorem fermenti panis ſelaginei ſimilem ſpargit (*m*).

(*m*) V. HOVEN, Verſuch über das Wechſelfieber, T. I. p. 5.

Pulſus nunc, licet plenus ſit, mollior tamen redditur; faciei rubor perſtat, ſed calor ardens cutis minuitur; decreſcit ſitis, et aeger rarius bibit: Reſpirationis libertas redit. Decreſcente ſudore, urina emittitur plerumque craſſa, pinguis, ſpumoſa, quae refrigerio commiſſa, ſedimentum deponit lateri trito ſimile. Hoc autem ſedimentum in febribus autumnalibus familiarius est, quam in vernalibus. Illud autem ſedimentum huic morbo non ita proprium est, ac vulgo putant, cum in pleuritide rheumatica, febre pituitoſa &c. non tantum obſervatur, ſed illud quoque, monente Cl. PROMOTORE (*n*) in Hollandia familiarius, quam in hac regione accidit. Ipſi quoque rariſſime in Noſocomio in intermittentibus illud ſedimentum vidimus.

Finito acceſſu aeger ſe languidum et defatigatum ſentit, et ſaepius in ſomnum incidit reficientem.

§ VII.

Acceſſu ſic devicto debiles ſunt, dolent adhuc artus: pallet facies; oculi flaveſcunt; minimo ſuſcepto frigore horrent; os amarum est; et dentes muco ſunt tecti; appetitus deficit, cibum animalem abhorrent;

(*n*) Cl. THUESSINK, Waarn. omtrent de ziekten van het Noſoc. Clinic., An. 1798 et 1799. p. 56.

rent; morosi sunt; halitus foetet; pulsus adhuc celer est, et caput vertiginosum, facile sudant, urina manet rubra et crassa. Quo longior autem sit apijrexia, eo magis etiam haec symptomata disparent, ita ut in quartana ante novum accessum prorsus sani videantur.

CAPUT II.

De varia Febris Intermittentis specie.

§ VIII.

F. I. ab auctoribus varia ratione dividitur. Et primo quidem memoranda est distinctio, qua dispescitur in *Regularem* et *Irregularem*.

Regularis intermittens est vel *quotidiana*, vel *tertiana*, vel *quartana*.

§ IX.

F. J. Quotidiana est, quando quovis die accessus advenit, ita ut intra 24 horas et accessus et apyrexia accidat. Si auctores de hacce febris forma varios consulamus, haec rarior esse videtur, cum multi hujus existentiam denegent, eamque pro tertiana duplici habeant. Abunde autem epidemia praesens hujus adserti probavit contrarium, cum, et in Nosocomio Clinico, et in privata praxi, eandem centies bene notatam observavimus. FRANKIUS autem (o) et HOFFMANNUS frequenter quoque eam epidemicam observarunt, post aestatis calorem magnum, illud, quod hic etiam praecedenti autumno accidit. —— Illud autem vidimus quoque, quod frigus in hac sit levius, ita ut etiam aliquando sine frigore accidat, sitis sit minor, calor sit minus siccus, sed magis mordax et ingratus. Ordinario autumni soboles est, et hinc naturae saepe asthenicae. PINELLIUS putat has aeque ac quartanas ad pituitosarum pertinere genus, et hinc eas hyeme maxime deprehendit familiares. Certe nos vidimus eam et autumno et hyeme inprimis familiarem, coelo humido et pluvioso, licet nunc

quo-

(o) l. c. p. 41.

quoque hoc vere non infrequens deprehendatur. Prae ceteris infantes et debiles arripit.

Obſervavimus etiam in una familia infantes quotidiana, adultos tertiana adfectos fuisſe, licet illud tamen pro generali regula haberi nequeat. Pertinacior quoque est, et, ſi ſponte judicetur, vel per 10 vel 14 accesſus, idque VOGELIO teste, per diarhoeam utplurimum judicatur. —— Duratio accesſuum varia est, ſi benigna est per 6, ſi gravior aliquando per 18 horas durat, ita ut facile in ſubcontinuam transeat.

§ X.

Inter omnes ſpecies maxime frequens est *tertiana*, quae alternis accidit diebus, ita ut intra 48 horas et paroxysmus et apyrexia accidant.

Haec febris plerumque maxime regularis est, et optime ſua abſolvit ſtadia. Mane hora 11ª ſaepius accidit, plerumque anteponere ſolet, raro ultra 12 horas durat, ſaepius robustos arripit, et hinc naturae ſthenicae frequenter deprehenditur. —— Veris magis, quam autumni ſoboles est. Frigus et rigor graviora ſunt, et dedolatio minor; calor autem intenſior est, et cito ſe per totum corpus diffundens, nec adeo mordax, vesperi ſudore ſecedit. —— Minus est pertinax reliquis ſpeciebus et 5ª 7ª vel 9ª accesſu ſponte, ſi res bene cedat, judicatur; illudque aliquan-

quando ſit per exanthema circa os et labia; illa tamen criſis aliquando tantum partialis est. PINELLIUS (p) illam ad bilioſam refert febrem, quod tamen pro generali habendum non est regula.

§ XI.

F. J. Quartana, omnium maxime molesta et gravis, hujus regionis et Zelandiae orarum maritimarum endemica proles est, eaque omni die 3^a advenit, ita ut 72^a hora, ſi regularis ſit, demum ſingulus adveniat paroxysmus. Hyemis et ſerioris autumni haec ſoboles est; debiles, ſenes et pituitoſos prae ceteris adgredi dicitur, ubi tamen epidemica est, etiam hic juniores et infantes aliquando arripit. Horror et frigus hic ſaepe graviora et diuturniora ſunt, cum ſenſu contuſionis, et inſigni anxietate; calor autem ratione frigoris longe est levior, nec et ſudor in nostris aegris valde fuit profuſus. —— Accidit, teste SAUVAGESIO (q) hora 4^a pomeridiana, quod tamen non est conſtans; acceſſus diu, aliquando per 15 horas, durat —— reliquis pertinacior est, et raro ante acceſſum 14^{um} ſponte diſcedit. Asthenicae et chronicae naturae est, et plerumque morbos chronicos post ſe trahit.

§

(p) Noſ. Phil. T. I. p. 160. ſeqq.
(q) Noſ. T. III. p. 152.

§ XII.

Hi typi F. I. ſunt maxime familiares, rariores ſunt qui longiorem apyrexiam habent, uti 5ªna 6ªna 7ªna 8ªna 9ªna. Licet autem plures ad tertianas vel quartanas irregulares pertineant, tamen earundem existentiam prorſus negare, nimium foret. Cl. Promotor ipſe ſeptimanam regularem ſe obſervasſe nobiscum communicavit: qualem etiam pater aeſtumatisſimus ſemel obſervavit (*r*). Illae autem, quae longiora intervalla habent, uti menstruae, bimestres, trimestres, vel annuae, potius ad ephemeras vel ad recidivas referendae esſe videntur.

§ XIII.

Deſcripſimus hactenus febres, quae typum intermittentem ſimplicem obſervant. Fit autem aliquando, quod paroxysmi duplicationem ſubeant, id est, quod, vel die ipſius accesſus, vel apyrexiae iterum accesſus adveniat, unde diviſio exſurgit in *duplices*, *duplicatas* et *triplices*, in quibus omnibus illa obtinet regula, quod alterni accesſus, tum ratione tempo-

(*r*) Confr. porro Cl. BURSERIUS, Inſt. T. I. p. 142. HECKER, T. I. p. 252. et STRACK, de feb. int. Cap. I. p. 34.

poris, tum ratione ſymptom tum ſibi invicem respondeant, unusque levior paroxysmus alterum graviorem excipiat. Vulgo hi accesſus non ſimul et ſemel cesſant, ſed primo levior ordinario disparet, remanente graviore, et ſic ad ſimplicem reducitur. — Sequentes ſpecies maxime familiares deprehenduntur.

I. *Quotidiana duplex*, quando intra 24 horas, brevi intermedia apyrexia, duo paroxysmi accidunt. — Hae febres ſaepe anteponunt et paroxysmum elongant, et hinc facile in continuas migrant.

II. *Tertiana duplex* est, ſi quolibet die accesſus adveniat, ita tamen, ut illi, qui alternis diebus accidant, ſibi invicem respondeant. Ordinario unus adest levior alter gravior, dum priorem longior, posteriorem accesſum brevior ſequatur apyrexia. Hanc hic ſaepisſime obſervavimus.

III. *F. J. Quartana duplex*, ſi quovis triduo accesſus adveniat, uno tantum die libero.

IV. Rarius obſervatur *Quartana triplex*, quando quovis die plerumque vesperi accidit accesſus tali ratione, ut hi tres accesſus, ſibi disſimiles ratione temporis et ſymptomatum vehementiae, tamen exacte tertio quovis die redeant. Tales quartanas triplices ipſi hac epidemia plures vidimus.

Ab his duplicibus distinguendae ſunt *duplicatae*, quando uno die duo accesſus accidunt; illud autem de tertiana et quartana tantum valet.

Accidit haec duplicatio, quando febris ex remitten-

tente intermittens fit, vel a materiae febrilis, ut cum SYDENHAMO loquar (s), activitate vel a paroxysmi perturbatione, quando aeger ante finitum sudorem lectum relinquit.

Illud autem ordinario longam febrem declarat, et mali augurii est.

§ XIV.

Ratione temporis quo accessus adveniunt, auctores diviserunt F. I. in

I. *Fixas*, quando paroxysmi eadem hora adveniunt, illud, quod in longis et habitualibns febribus, fere solemne est, unde autumnales tertianae, et maxime quartanae plerumque fixae sunt.

II. In *anteponentes*, quando quilibet accessus citius solita hora adveniat; illud, quod in tertianis vernalibus, maxime activis, plerumque locum obtinet.

III. In *subintrantes*, quando novus accessus advenit, priori nondum plane devicto. Haec subintratio saepe in vernalibus accidit, quando simul cum antepositione accessus longius protrahuntur.

IV. In *retardantes*, si quivis paroxysmus, praecedente tardius advenit; illud quod plerumque in autumnalibus accidit et naturae languorem indicat.——

(s) Oper. L. I. C. V. p. 47—48.

Hac postpositione saepe febris typus mutatur, et tertiana non raro in quartanam migrat.

Hoc vere plurimae intermittentes cum symptomatum incremento per plures horas anteponunt, et in subcontinuas transeunt. Hyeme autem et autumno praecedente plurimos tractavimus postponentes tertianas, quae tandem in quartanas valde molestas transierunt.

V. *Irregulares* eae dicuntur febres, quarum accessus nunc hac, nunc illa adveniunt hora, nullo certo observato ordine. In initio multae intermittentes erraticae sunt, et typum fixum non observant; verum in bene formata febre facile typus regularis fit. Quando febres valde epidemicae sunt, uti hoc anno, multae observantur, quae ab ipso initio regularem typum observant.

§ XV.

Ratione naturae vel *essentiae* febris est vel *benigna normalis*, vel *anomala* aut *maligna*.

Normalis est paroxysmus, ubi ea ratione stadia sibi invicem subsequuntur, qua hucusque vidimus, et nulla alia symptomata accidunt, quae vel paroysmi decursum turbant, vel vitae discrimen adferunt.

Anomalae autem sunt, quae vel ab hac regulari cursu deflectunt, sub alius morbi larva accidunt, vel symptoma quoddam molestum aut periculosum conjunctum gerunt.

§ XVI.

Huc primo debemus referre *febres topicas* vel *larvatas*, quae, licet F. I. ſymptomatibus deſtitutae, tamen ad has pertinent, et ſub larva alicujus morbi, certo tempore redeuntis et dein cesſantis, ſe abſcondunt. Tales febres larvatas ſub forma ophthalmiae, cephaleae, pleuritidis, colicae &c., plures deſcripſerunt auctores, maxime Cl. C. MEDICUS (*u*) STRACK (*v*); et quarum plures hiſtorias nobis in praelectionibus practicis ſolet enarrare ex propria obſervatione Cl. PROMOTOR, quos autem recenſere vetant arcti hujus disſertationis limites.

§ XVII.

Ad febres anomalas porro referri debent eae, quae *malignae* vel *periculoſae* dicuntur; atque hae iterum variae ſunt.

Aliquando ipſa ſymptomata naturalia paroxyſmi febris fieri posſunt periculoſa, ſi tales concurrant in corpore conditiones, quae faciunt ut eadem, ſi graviora ſint, ferri nequeant. Ita in corpore ſenili fri-

(*t*) Uber period. Krankh.

(*u*) De feb. interm. topicis vid. VOGEL, Handb. T. I. p. 57.

gus adeo potest esse grave, ut inde cerebrum et pulmones opprimantur, et hinc mors in hoc stadio accidat apoplectica. Ita sub caloris stadio ab aucto motu circulatorio aliquando noxae oriuntur, praecipue in corpore plethorico. Sudor etiam aliquando excedit, et vires hoc adeo exhauriuntur, ut inde vitae praesens accidat periculum. In Nosocomio, ante aliquot annos, talem observatum esse casum militis, qui post quemlibet accessum adeo sudore diffluebat, ut rivuli instar per lectum diffluerct, mecum communicavit Cl. PROMOTOR.

§ XVIII.

Ad febres malignas autem inprimis referendae sunt illae, quae *Comitatae* vel *Mortales* dictae sunt. Hae febres plerumque insidiosae sunt; dum in initio plerumque sub forma F. I. mitioris se prodant, sed demum tertio quartove accessu, aliquando tardius, subito sese ostendat symptoma aliquod grave, quod aegrum in vitae periculum projicit, ita quidem, ut, si non primo insultu trucidat, illud certe vel tertio vel quarto accessu continuo graviori facto efficiat (v).

§

(v) Vid. VOGELIUS l. c. p. 47.

§ XIX.

Nullum fere est ſymptoma ordinarium febrium, quod non adeo augeri posſit aliquando, quin omnia conſueta ſtadia frigoris, caloris et ſudoris eo obfuscentur, ita ut paroxysmus plane delitescat ſub larva *algoris*, *vomitus*, *diarheae*, *cholerae*, *cardialgiae*, *apoplexiae*, *ſyncopes* &c. Intermisſio perfecta in his Medicum fallit. Interim licet febres hae malignitatem vulgo uno quaſi impetu declarent, tamen et in praecedentibus paroxysmis haec ſymptomata, licet blanda et leviora, ſe jam produnt.

Non lubet omnes hasce ſpecies hic percurrere; cum TORTIUS (*w*) WERLHOFF (*x*) et BURSERIUS (*y*) uberrime de his egerint.

Inter has autem maxime ſunt familiares febres intermittentes *ſoporoſae* et *apoplecticae*, quae primo ſub larva ſomni, dein autem ſequenti accesſu ſoporis vel comatis, et tandem completae apoplexiae letalis forma adveniunt. In initio ſopor cum paroxysſmo advenit, cum eo crescit et declinat, et ſublato accesſu deſinit, ita tamen, ut aliqua remaneat ſommolentia —— ſequenti autem vel tertio accesſu

 fit

(*w*) Therap, Special.

(*x*) Obſ. de febr.

(*y*) Inſtit. Med. T. I. p. 131—252.

fit obliviofus, fui immemor, et vix loqui valet aeger dein jacet ftertore oppresfus, nec ullo incitamento excitari potest, imo hoc in ftatu moritur. Has febres foporofas epidemicas Hanoverae vidit et defcripfit Cl. WERLHOFF (z), easque adeo declarat infidiofas, ut faepe eas viderit inopino letales.

Hae femper ex genere tertianarum funt et plerumque epidemicae, ita ut hae ex hac frequentia facile quoque cognofcantur. In regionibus nostris maritimis Zelandiae, imo etiam in nostris, et anno 1794, et etiam hac epidemia frequentisfimae fuerunt; imo etiam aliquos inopino, et minus advertente Medico, trucidarunt.

Anno 1807 talem quoque foporafam febrem in muliere 50ria obfervavimus in Nofocomio Clinico, quae diu laboraverat febre biliofa autumnali, in tertianam tandem terminata; gravi cephalea deliquio et fopore incipiebat accesfus, ita ut, pulfu parvo et facie contracta, infenfilis jaceret: accesfu finito temulenta maneret. Statim Cl. PROMOTOR hanc magna C. Peruv. dosi ex integro jugulavit.

§ XX.

Hae autem F. I. anomaliae utique distinguendae funt

(z) L. c.

ſunt ab aliis morbis periodicis, quae ad intermittentis febris genus non pertinent; multi enim dantur nervoſi adſectus, qui etiam certo redeunt et fixo tempore.

§ XXI.

Aliquando unum vel alterum ſymptoma praecipuorum ſtadiorum febrilium adeo, uti vidimus, potest esſe grave et excedens, ut aegrum in vitae periculum projiciat; verum quoque non raro vel unum alterumve ſtadium deficit, vel inverſa accidit ratione. Saepe vidimus, quod vel nullum adfuerit frigus, ſed accesſus a calore incipiat. Maxime autem familiaris his ultimis annis fuit, praecipue in autumnalibus, defectus ſtadii ultimi vel ſudoris. Hocce ſymptoma plerumque valde malum obſervavimus, praeſertim ſi ſimul urinae copia deficerent, illudque non raro hydropem prognosticasſe vidimus. Hinc quoque est, quod, deficiente hac naturali accesſus criſi, adeo ſubitanei hydropes accidant; quales descripſit Cl. PROMOTOR *(aa)*, easque praeſertim a rheumatica complicatione derivandas esſe putat. Similia in praeſente epidemia obſervavit Cl. HORN *(bb)*.

Tandem anomaliam ſymptomatum pendere posſe a com-

(aa) Vid. Waarnem. l. c. p. 56—57.

(bb) Arch. f. Pract. Med. T. IV. p. 2. p. 228. ſeqq.

complicatione cum aliis morbis, vel me non monente, intelligit quivis.

§ XXII.

In praxi autem momentofisſima diviſio memoranda est, qua febres dispescuntur in *vernales* et *autumnales*.

Licet enim aliquando, quemadmodum hocce anno et praecedenti, adeo frequentes et epidemicae ſint, ut nullum ſit anni tempus, quo non deprehendantur hae febres, tamen ordinario frequentiores ſunt *vere* et *autumno*.

§ XXIII.

Vernales incipiunt, remittente parumper hyberno frigore, menſe Februario, ſummitatem attingunt menſe Martio, et ſenſim ab hoc tempore pedem retrahunt, et menſe Junio vel Julio prorſus cesſant,

Vigent itaque hae febres eo tempore, quo inflammatoria conſtitutio praeſto est, et humores ſimul hyberno frigore inſpisſati labem pituitoſam contraxerunt; hinc plerumque ex ſynocho imputri oriuntur, ſordium magmate complicatae accidunt, in initio continuae vel remittentes ſunt et valde activae, et tandem, ſublata hac complicatione gastrica et inflammatoria

toria, verae intermittentes evadunt et saepe sponte desinunt. — Tertianarum formam plerumque adsciscunt. — Interim non semper haec obtinet felicitas; etenim aliquando, tempore humido et frigido anteponentes et longiores redditae, facile in subintrantes, et dein in continuas abeunt. — Aliquando, accedente calore mense Junio, in putridas vergunt (*cc*).

§ XXIV.

Autumnales in eo conveniunt cum *vernalibus*, quod etiam ex remittentibus proveniant; interim in his febris remittens biliosae naturae est, aliquando subinflammatoriae. Incipiunt ordinario hae in initio Septembris vel in fine mensis Augusti, aliquando, ubi epidemicae sunt, citius, aliquando mense Julio. — Terminantur hyemali tempore, et raro ultra mensem Januarium conspiciuntur. Formam quotidianae vel quartanae amant, ita tamen, ut, incipiente constitutione epidemica, etiam saepe tertianae formam adsumant. — Ubi vero diutius praesto sunt, saepe postponunt et facile in quartanas migrant. — Plerumque naturae asthenicae sunt, corpus debilitant, et non raro pessimas sequelas post se trahunt.

(*cc*) Vid. GRANT p. 7.

§ XXV.

F. I. aliquando fola in C. fubfiftit et fimplex est; faepius autem cum aliis morbis complicatur, et haec complicatio multum curationis difficultatem auget; hinc haec a Medico recte distinguenda et cognoscenda est.

Non posfumus hic de fingulis complicationibus disferere, fed potiores verbo tantum lustrabimus.

1°. Memoranda est complicatio cum *febre inflammatoria*, vel cum *inflammatione topica*. Haec inprimis frequens est tempore hyberno vel vernali, fpirante borea, et fub frequentibus caloris frigorisque vicisfitudinibus, praefertim in conftitutionibus robustis et plethoricis. Haec fefe declarat fymptomatibus fynochae propriis, pulfu duro, forti; respiratione molesta, anxia: lingua ficca; cephalea gravi &c. In his calor acutus gravior et magis diuturnus est; oculi rubri funt et flammei, et non raro tusfis accedit molesta. Quodfi hae febres negligentius curentur, facile fymptomata accedunt pleuritica, quae, praecipue fub accesfu, graviora funt, et tandem febris ipfa continua fit, et, cum accesfus continuo elongentur, in fubcontinuas transeunt. Verno tempore faepe haec labes inflammatoria accedit, etiam non adeo animadvertente Medico, imo hoc ipfo tempore (menfe Maji) plures hic adfunt intermittentes inflammatoriae, quae, abfentibus

om-

omnibus indiciis gastricis, hunc ſuum declarant genium tusſicula ſicca, maxime ſub accesſu, et lingua pura; in his ſanguis vs ne eductus crustam ostendit vere phlogisticam; hanc quoque, ſed ſine indiciis topicae phlogoſeos, obſervavit Cl. HORN *(dd)*, et HËGEWISCH *(ee)*. Tempore autumnali ſaepe haec adest complicatio, et tunc haec ſeſe dolore lateris dextri et tusſicula ſicca declarat, tumque hic hepatitis comitatur, ſola venaeſectione et regimine antiphlogistico domanda. Haec ſaepius praecedenti autumno et in Noſocomio Clinico et ruri obſervavimus. — In his apyrexiae tempore calor et durities pulſus remanent cum ſiti inſolita *(ff)*. Formam plerumque tertianae adſciscunt *(gg)*.

Ab his autem distinguendae ſunt *larvatae febres*, quae ſe ſub forma alicujus morbi dolorifici v. g. pleuritidis celant; in his enim nequaquam vs., ſed ſpecificum F. I. *Cort. Peruv.* curam abſolvit *(hh)*.

2°. *Febris putrida* non raro cum hac febre complicationem ſubit. Tempore humido et calido ipſae ver-

---

(dd) L. c. p. 217.

(ee) T. V. p. 48.

(ff) VAN HOVEN p. 54—55.

(gg) De hac egregie egit Cl. BANG in Med. Ch. Zeit.

(hh) Vid. HORN l. c.

vernales febres, mutato typo, in continuas putridas, teste illud GRANTIO, facile vergunt (*ii*). Illud autem longe frequentius in autumnalibus accidit, quae si, quod saepius accidit, sordibus biliosis complicantur, neglecta earundem eductione, et prava medela, praecipue Cort. Peruv. et roborantium ope, sub remittentium forma primo apparentes, dein cum omnibus typhi putridi symptomatibus, in continuas pessimi genii febres migrant. Hic eaedem febres autumnales mox in ipso ingressu, si post aestatem fervidam pluviae frigidae insequantur, eandem putridam adsciscunt naturam: illud quod praecedente autumno in multis hujus regionis locis observare licuit.

§ XXVI.

Febris Nervosa sub iisdem rebus circumstantibus quoque cum intermittente conjungitur. —— Summa tunc hanc comitatur debilitas, eaque omnia adveniunt indicia, quae hocce febrium genus solent notare. Formam tunc quotidianae vel quartanae amat, tandemque continua nervosa evadit. Ad hanc speciem aliquae, quae malignae dicuntur, pertinent (*kk*).

§

(*ii*) L. c.

(*kk*) Vid. BURSERIUS l. c. p. 149.

§ XXVII.

Cum *febre biliosa* complicata F. I. sistit febrem, ita dictam, *haemitritaeam*, in nostra regione, praesertim post aestatem calidam, apprime familiarem. In initio prorsus est genii remittentis, ita ut febris nunquam plenarie absit, sed ita tamen ut alternis diebus accessus gravior observetur, simul cum indiciis biliosae febris. Haec autem, si recte tractetur, fere semper in tertianam regularem, ablata biliosa complicatione, migrat.

§ XXVIII.

Eadem ratione tempore humido et pluvioso cum hac copulatur *febris pituitosa*, quae vere cum hoc morbo *synochum imputrem vernalem* sistit, quae I. scilicet, cum pituitosa labe complicata, ordinario remittens et non formata est. Sublata autem hac complicatione in simplicem tertianam, vel et, uti hoc anno, in quotidianam transit. Egregie decursum hujus descripsit Cl. GRANTIUS *(ll)*.

Molestior autem est illa febris, quae seriori autumno vel hyeme accidit, cum spissa pituita copulata, tunc

---

(ll) L. c.

tunc *febrem*, ſic dictam, GRANTII *hybernam* ſiſtit, vel *atrabiliariam*, quam nuper egregie deſcripſit Cl. KLETTEN *(mm)*, et quam etiam nimis in noſtra regione et in Noſocomio Clinico obſervavimus frequentem. Sub quartanae ſimplicis, vel duplicis, vel etiam quotidianae typo ſe prodit, et curatu valde moleſta eſt.

§ XXIX.

Complicatio rheumatica in hiſce regionibus valde frequens obſervatur, ita ut tempore humido et frigido, praeſertim ſi frequentes et ſubitae accidant temperaturae mutationes et viciſſitudines, praecipue vere et autumno tuſſis et dolores rheumatici moleſtam complicationem rheumaticam cum F. I. efficiant, quae facit, ut curatio multo difficilior evadat. Aliquando autem, ſi debita ratione curetur, quolibet acceſſu ſudore terminato haec complicatio tollitur. Non raro autem illam creat anomaliam, quod ultimum ſudoris ſtadium deficiat *(nn)*. Saepe quoque cum pituitoſa labe haec complicatio copulatur *(oo)*.

§

(*mm*) *De Conſ. morb. atrabil* VITEB. 1806.

(*nn*) Vid Cl. PROMOT. Waarn. l. c. p. 50.

(*oo*) Ib. p. 54.

§ XXX.

Tandem, praesertim ubi constitutio temporis pituitosa est, cum *labe verminosa* jungitur F. I.; illudque potissimum in infantili aetate obtinet; atque tunc haec febris longae halenae morbus deprehenditur (*pp*). Ceterum nullus fere adest morbus, cum quo non aliquando F. I. conjungitur; de his omnibus autem agere vetant determinati hujus dissertationis limites.

CAPUT III.

Varii F. I. Exitus et Sequelae.

§ XXXI.

Eadem ratione, qua aliae febres, terminatur F. I. vel in *plenariam sanitatem*, vel in *mortem*, vel in *alium morbum*.

§

(*pp*) Ibid p. 259.

§ XXXII.

In *fanitatem* abeunt *plenariam* hi morbi, quando vel fubito cesfant accesfus absque ulla crifi fenfibili, quam ipfius paroxysmi; quando fcilicet et fudore copiofo, et urina fedimentum lateritium deponente fedantur accesfus. —— Plerumque autem illud hac accidit ratione, quod fenfim et fymptomata mitigentur, et accesfus breviores evadant, donec fponte plenarie cedant. In vernalibus illud folemne est, quod 5º vel 7º paroxysmo fponte cesfant. —— Rarius uno quafi impetu fistitur accesfus. Non rarum autem est, non tantum in vernalibus, fed etiam in ipfis autumnalibus, quod fponte cesfent, et dein recidivent. In his recidivis non obtinet lex generalis in omnibus epidemiis. Saepius quidem accidit, quod certis diebus accidant, ita quidem, ut quotidiana recidivam patiatur fequente feptimana, terṫiana 2ª feptimana et quartana 3ª; tumque accesfus femper redit die paroxystico. Tali ratione quoque hoc vere recidivas fere regulares obfervavimus. Illud autem non femper obtinet, et longe faepius recidivae ab errore diaetae vel, a fuscepto frigore manifeste fe derivari patiuntur (*qq*).

Cri-

(*qq*) Vid. Cl. FROM. l. c., cum quo egregie conveniunt obferv. Cl. HORNII l. c. p. 278.

Crises, per quas natura F. I. ad sanitatem reducit, variae sunt. Aliquando simul cum paroxysmo ipsa febris materialis causa ablegatur, tumque ordinario urina quid critici ostendit. — Saepe exanthema circa os apparet, illudque etiam non raro accessum vel moderatur, vel ex integro tollit; illa crisis, autem infida est. Cl. HORN saepe furunculos, post hasce febres, criticos vidit *(rr)*. Alia res est, si febris intermittens complicata est, tumque ea crisis quae complicationem solvit, etiam F. I. ablegat. Ita in vernalibus in plethoricis profusa epistaxis morbum sanat. Ita in biliosis vomitu vel diarhaea judicatur; fomes sc. simul materialem causam F. I. tunc tollere videtur *(ss)*.

§. XXXIII.

Non minus frequens tamen est, quod vel in *alium morbum acutum* transeat, vel in longum trahatur morbus, et variae ex hac causa in corpore sequelae exsurgant, quae dein etiam letales fiunt. Ipsa autem F. I. raro per se in mortem terminatur, nisi accedant aliae caussae, quae hanc letalem reddunt; dantur enim intermittentes, quae per plures annos durant, quin ta-

(rr) L. c.

(ss) Vide STRACK de Febr. Int.

tamen evadant letales; — hoc tempore tales casus praesertim ruri observavimus plurimos, ubi per duos vel tres annos duraverint. Pendet itaque plerumque mors ab accidentalibus potius, vel corporis, vel anni temporis, vel complicationis conditionibus. Idem observavit Cl. HORN (tt).

§ XXXIV.

Quodsi stadium frigoris nimis sit grave, ita ut corporis extrema gravi spasmo corripiantur, et vasa contrahantur, facile sanguis ad interiora corporis appellit, eorumdemque functionem impedit; ita in senibus et in infantibus facile cerebrum petit, et compressione sua letalem producit apoplexiam; vel ad pulmones accumulatus suffocationem creat (*uu*).

Calor itidem adeo gravis in plethoricis et robustis evadere potest, ut delirium, phrenitidem, et adeo gravem producat expansionem, ut inde mors producatur.

Tandem quoque sudoris stadium in aliquibus febribus adeo excedens fieri potest, ut inde colliquatio letalis [illegible]tur; id quod in perniciosis febribus

(*tt*) L. c.

(*uu*) Vid. Cl. HECKER l. c. p. 268. TRNKA l. c. p. 238. et VOGEL l. c. p. 73.

bus etiam accidit, quae unice gravitate ſympto-matis eminentis occidere posſunt.

§ XXXV.

In alios autem *morbos* varia ratione tranſeunt F. I.

I. Facile terminantur, uti ſupra vidimus, F. I. vernales in ſubintrantes; vel tempore calido et humido, ſordium gaſtricarum complicatione, ſi illa non ſubito tollatur, vel ſi F. I. non directe ſpecifico ſubjugatur, periculum est, ne in continuam tranſeat. Eadem ratione intermittententes autumnales biliofae hac complicatione, amisſa intermisſione, primo in remittentes, dein in continuas biliofas vel putridas abeunt.

II. F. I. ſi diu durat, praeſertim autumnalis, tempore hyemali debilitate, quam inducit et humorum depauperatione ac acrimonia, tandem in emaciantem *Hecticam* vergit, et hac ratione, exhausto corpore, aliquando letalis fit. Tales plurimos tractavit Berolini Cl. HORN, pluresque ipſi in Noſoc. Clin. vidimus.

III. Aliquando inflammationes viscerum particularium ex F. I. oriuntur valde periculoſae, praeſertim in vernalibus, in quibus, ſi labes inflammatoria adſit, eaque negligatur, facile pleuritis accedit, F. I. tol-

 lens,

lens, et dein in continuam transiens inflammatorii genii (*vv*).

IV. Longe frequentius post F. I. accidunt *morbi chronici* praecipue systhematis abdominalis. Inprimis enim in illud vim suam exserere videntur febriles motus. Hi autem vel simul cum febre subsistunt, vel metascematismo ex hac oriuntur. Atque hic primo memorandae indurationes abdominis, quae non tantum in hepate, sed et liene, pancreate, mesenterio, et ipsis intestinis reperiuntur, et febres autumnales, etiam in junioribus, insequi solent, praesertim quando hae, vel nimis cito Cort. Per., vel adstringentibus tolluntur, vel, quod saepius fit, sibi linquuntur; unde variae cachexiae, digestionis vitia et tandem mors insequuntur; quales plures ipsi vidimus, et Cl. HORN (l. c.) egregie descripsit.

V. Post autumnales neglectas, vel et calidis et intempestivis remediis curatas intermittentes, accidunt infarctus hepatis, et lienis, ac vasorum abdominalium; unde *morbus niger* HIPPOCRATIS, et dejectiones nigras letales apud plures in hac regione accidere vidimus hoc vere. Similia vidit SWIETENIUS in epidemiis suis: ,, Qui" inquit ,, ab autumnali ,, morbo anni praecedentis, male per corticem febre ,, intempestive suffocata, cincti fuerant, recidivas pas- ,, si

(*vv*) Vid. V. HOVEN l. c.

„ ſi ſunt, multi, rupto hepate, calore verno mo-
„ ta materia, perierunt vomitu et diarhaea ſangui-
„ nis." (*ww*).

VI. Nec minus familiaris est *discraſia humorum ſcorbutica*, et ipſa ſanguinis disſolutio, qua, corpore licet ſatis belle valente, cum F. I. ſimul *morbum haemorrhagicum maculoſum* in duplici ſubjecto ſat gravem conſpeximus in Noſocomio, ſed tamen facile debitis remediis curabilem.

VII. Rariorem metascematismum F. I. pasſa est junior faemina gravida, quae, ſubito cesſante tertiana, corripiebatur dolore acuto utriusque brachii, quae ſtatim colorem carmoſinum adſumebant; ſequente die utrumque brachium ad celluloſam usque, inde ab humero ad cubitum, carbonis inſtar nigrescebat; interna fere ſola pars, ſub qua vaſa nervique decurrunt, ab inflammatione erat immunis. Separata gangrena in integrum restituta est, et debito tempore ſanum infantem peperit.

VIII. Inter frequentisſimas F. I. ſequelas *hydrops* est recenſendus, qui vel *acutus* est, et, uti Cl. PROMOTOR obſervavit, deficiente ſudore, post quemlibet accesſum increscit, et tandem brevi letalis fit; vel *chronicus*, quando, praeſertim post diuturnas quartanas, vel cum infarctibus viscerum abdominalium, vel ſine

 his

(*ww*) Conſtit. Epid. T. I. p. 35.

his, vel generalis anasarca, hydrothorax, vel ascites accidit. Hic, uno tempore longe magis quam alio frequens, hoc anno praecipue post intermittentes est observatus (*xx*).

IX. *Phthysis pulmonalis* frequens intermittentis sequela, eaque raro curabilis est. Accedit saepe catarrhali complicationi, vesperi aucta tussi comitatur, accessus ipse imminuitur, et hectica febris huic succedit. Cum diarhoea pertinaci eam hoc anno in Nosocomio observavimus, tandem morte terminatam. Incipientem hanc prudenti Cort. Peruv. administratione sustulimus; illud quod a Cl. HORN etiam observatum est (*yy*).

X. Licet in hisce regionibus *exanthema scabiosum* post F. I. non sit valde familiare, et saepius in oris Zelandiae observetur, tamen nunc quoque post rebelles quartanas illud exanthema saepius conspeximus, ita quidem ut cum accessibus alternare videretur. Illud quod quoque observavit VAN HOVEN (*zz*).

XI. *Dolores* porro *vagi rheumatici* aliquando accessus sequuntur; qui autem a SYDENHAMO perperam cortici peruviano tribuuntur.

XII.

(*xx*) Cl. HORN l. c. p. 258. hanc etiam vidit et accurate descripsit.

(*yy*) l. c.

(*zz*) l. c. p. 117.

XII. Tandem varii *morbi nervosi* aliquando accidunt. SYDENHAMUS maniam; *(aaa)* nos vero epilepsiam, et nunc quoque choream in Nosocomio cum F. I. alternantem, vidimus.

CAPUT IV.

Causae.

§ XXXVI.

Quemadmodum in aliis morbis, ita et in F. I. summi interest Medici, ut *causas* aeque *disponentes* ac *occasionales* cognoscat, ex quibus hicce morbus originem suam trahat.

(aaa) Vid. Opera Univ. pag. 101 et seqq. ubi uberrime hanc descripsit.

§ XXXVII.

Dispositi sunt ad hunc morbum recipiendum omnes fere homines; nulla aetas, sexus, temperies, vel vitae genus ab his recipiendis prorsus immune est, praecipue quando haec febris longe lateque per populum grassatur (*bbb*).

Binis hisce annis omnes fere in hisce regionibus febre adfecti fuerunt; robusti aeque ac debiles. Cum autem uno tempore longe magis, quam alio vagentur, hic utique debemus agnoscere peculiarem aëris constitutionem, quae facit, ut hae febres longe magis uno, quam alio tempore sint familiares. Hinc adesse concludimus in atmosphaera dispositionem, quae adeo mutet corporum habitum, ut apta fiant ad febrem hanc, levissima etiam data occasionali causa, contrahendam; atque haec videtur esse diuturna et continua fere ac subita atmosphaerae vicissitudo, qua aer nunc siccus, nunc humidus, nunc calidus, nunc frigidus deprehendatur. Hoc enim tempore, quo adeo per borealem Europam vigent F. I., tempus valde fuit varium et inconstans.— Maxime huic favere videntur ventus borei et aquilonii, qui in primis huic genesi F. I. favent.

In

(*bbb*) Vid. HORN l. c. pag. 215.

In ſpecie prae caeteris his diſpoſiti ſunt:

1 Qui vitam agunt ſedentariam, potibus aquoſis abutuntur, et cibis vappidis, viſcidis ac tenacibus ſe nutrire ſolent.

2. Illi, qui male veſtiti et nutriti corpus aëris liberioris, praeſertim nocturni, injuriis expoſitum duris laboribus quotidie exhauriunt; unde agricolae, horumque prae ceteris miniſtri nunc maxime plectuntur (*ccc*).

3. Qui morbis abdominis, infarctibus, obſtructionibus, diarhaeis, aliiſque morbis chronicis laborant; unde melancholici et atrabilarii, notante Cl. HORNIO, et ii, qui corpus purgantibus vel aliis ſe — et excretionibus nimis exhauſerunt, vel et ſeminis profluvio debilitati ſunt, maxime diſpoſiti ſunt.

4. Animi adfectus deprimentes, praecipue moeror et triſtitia ad haſce febres diſponunt.

5. Maxime ad haſce febres diſpoſiti ſunt aliorum regionum incolae, qui aëri noſtro et climati non adſueti ſunt: unde anno praecedenti exteri, qui aggeribus conſtituendis, vel turfis parandis, quotannis huc adveniunt, fere omnes F. I. laborabant; hinc et milites germani, obſervante Cl. PROMOTORE, Delſzylae fortius et gravius F. I. patiebantur (*ddd*).

(*ccc*) Vid. Doct. MIGNON, obſerv. quaſdam patr. ſolum ſpectantes Obſ. VII.

(*ddd*) l. c. p. 5.

6. Inprimis hisce fubjecti funt illi, qui vel nuperius vel antea F. I. laboraverunt; plures hic nunc offendimus, qui jam per 3 vel 4 annos vere et autumno recidivas F. I. pasfi funt.

7. Omnes illi, qui adhuc fequelis F. I. laborant, prae caeteris quoque afficiuntur.

8. Affirmat Cl. VAN HOVEN, illudque faepisfime in Nofoc. Clin. vidimus, quod illi, qui fcabiem habent, et facilius I. F. corripiebantur, et difficilius ab hoc curabantur *(ccc)*. In his fuccedanea Cort. Peruv. remedia vix aliquid praeftabant, et longe major Cort. Peruv. quantitas ad has tollendas requirebatur.

9. Omnium maxime autem ad hanc febrem formandum videtur tribuere folum humidum et paludofum, dum in regionibus paludofis faepisfime epidemiae hujus nascantur.

§ XXXVIII.

Quod ad *occafionales caufas*. Hic animadvertimus, quod omnes illae caufae, quae alias febres producere folent, etiam nostrae febri in dispofitis anfam praebeant.

Interim, licet fordes gastricae, fubita refrigeratio, imo

(ccc) Vid. VAN HOVEN p. 78—79.

imo et quaevis memoratae causae disponentes, intensitate sua vel diuturna applicatione, etiam occasionalium causarum in hoc morbo vice fungantur, tamen, epidemia harum grassante febrium, observavimus sanissimos, sed inprimis dispositos, absque ullo diaetae vitio, inopino hacce corripi febre, ita quidem, ut nulla adesset gastrica complicatio, sed demum post aliquot accessus haec adveniret; quam observationem etiam confirmant HORN l. c. et HILLER *(fff)*.

Inter causas occasionales maxime recenseri debent effluvia aquarum stagnantium vel et paludum. — Illud enim abunde comprobatum est, in iis regionibus endemicas esse febres intermittentes, in quibus solum humidum et depressum est, flumina saepe ripas egrediuntur et inundationes creant. Non tamen eodem redit, cujusnam naturae solum sit, etenim in iis locis sive marinis sive terrestribus, in quibus solum arenosum est, ordinario febres intermittentes non vigent. Nec et solum turfaceum hisce favet; licet non semper vera sit adsertio, quod in solo turfaceo nunquam dentur hae febres. *(ggg)* Interim illud notabile, quod praecedenti et hoc anno in Frisiae parte illa,

---

(fff) Uber die heilung der intermittir-fieber durch einheimische mittel, in HUFELANDS journ. T. XXIV. 4 st. p. 1.

(ggg) Saltsb. Med. Zeit. 1806. p. 314.

illa, quae turfacea maxime est, febres intermittentes raro ſint obſervatae, licet in urbis hujus vicinia, in qua turfae effodiuntur, nunc F. I. etiam ſat ſint frequentes.

Notaverat ex propria obſervatione Doct. MIGNON (*hhh*) quod ſolum argillaceum maxime faveat generandis F. I.; confirmant illud abunde obſervationes propriae, febres remittentes bilioſas et intermittentes maxime eſſe epidemicas in oris noſtrae provinciae argillaceis. Nuper eandem obſervationem in ſua *diaetetica* (*iii*) habet SINCLAIR, qui eam ex LINNAEI hauſit diſſertatione. Haec autem opinio, quae naturae obſervatione prorſus videtur innixa, ab eo jam in *diſſ. inaug.* anno 1735 Hardervici edita, egregie est enucleata (*kkk*). Postquam enim omnes cauſas F. I. putatitias enumeraverit, ex obſervationibus, in Sueciae variis regionibus captis, concludit, nullibi dari intermittentes, niſi in iis regionibus, in quibus incolae aquas particulis argillaceis inquinatas bibunt. Credit autem ideo vernali tempore accidere, quod: „ Vernali tempore argilla tumet, cum gelu, „ quo hyeme conſtructa fuit, ſolvatur; ſolvitur „ ipſa, tum videbis aquam turbidam, particulis „ argillaceis ſubalbidam opacam et id tempus F. „ I.

(*hhh*) l. c.

(*iii*) Handb. der gezundh. von SPRENGEL p. 43—49.

(*kkk*) Hypoth. novae de febr. interm. cauſis. Harderv. an. 1735.

„ I. proprium est. Sahlam fluvium upſalienſium „ videmus illa tempestate turbatam et pallidam: „ obſervavi quotannis, omnes familias, quae uſibus „ ſuis aquam hanc fluviatilem hauſerunt, F. I. ma- „ gis fuisſe ſubjectas, quam quae puteis uſi ſunt, „ licet nec ab omni turbiditate immunes esſent. Hy- „ eme novimus, beneficio frigoris aquam purisſi- „ mam esſe, quamvis in locis argillaceis vel ebul- „ liat vel fluat, adeoque illo tempore F. I. commu- „ niter cesſant; aestate quoque purificata rariores ef- „ ficit febres intermittentes, ſed autumno magis tur- „ bida et mixta illam tempestatem F. I. magis red- „ dit obnoxiam."

Quamvis utique asſentiamur Cl. LINNAEO, ſolum argillaceum multum tribuere ad feb. int. producendas, tamen haec ſola cauſa ad ſistendam hanc febrem non ſufficit. Etenim uno tempore longe frequentiores ſunt, quam alio. — Ubi epidemicae ſunt, etiam dominium longe lateque extendunt, et nunc quoque iis in locis prostant, ubi ſolum ſabuloſum arenoſumque est, ut in locis excelſis tam Germaniae, quam nostrae, Gelriae, Drenthiae et Transiſalaniae. Cl. HORN asſerit ubivis, aeque in depresſis, ac in excelſis Germaniae locis, F. I. epidemicas esſe *(lll)*. — Porro in locis paludoſis omnibus praecipue reperiuntur,

---

(lll) l. c.

tur, ubi inundationes adſunt, vel adfuerunt; unde univerſalitas nunc maxime videtur derivanda. Cl. HORN asſerit inundationem hoc anno nihil contulisſe ad intermittentium frequentiam; aderant jam, antequam Berolini rivus oras praetergresſus erat, et adhuc media aestate numerus augebatur, licet jam diu prata exſiccata esſent.

Accedat autem necesſe est frequens atmosphaerae varietas, et frigoris et caloris continua viciscitudo; quae hisce annis admodum magna et inſolita fuit, ita ut post quasvis hasce mutationes notabiliter F. I. caput extulerint, et aegri recidivas pasſi ſint.

Quaeritur autem an (uti aliqui putarunt) derivandae ſint hae febres ab *Hydrogenio ſulphurato*, quod maxime aquae ſtagnantes videntur exhalare? Credimus quidem, quod exhalationes aquae ſtagnantis partim producant F. I.; interim, ubi *Hydrogenium Sulphuratum* maxima copia exhalatur ex paludibus et ex ſordibus relictis in oris maritimis, praecipue argillaceis, tempore aestivo, potius naſcuntur remittentes bilioſae et putridae, et F. I. ſi adſint, complicationem bilioſam vel putridam inde contrahunt, uti illud videre est in exſiccatis paludibus Hollandiae, Lacubus Pontinis, et in oris nostris maritimis Zelandiae, Hollandiae et ipſius nostrae regionis (*mmm*).

Quid-

(*mmm*) Vid. Abh. der Kaiz. Königl. Med.-Chir. Jo-

Quidquid ſit, multum hic adhuc datur, quod nondum recte intelligimus, vel explicare posſumus.

Tandem putat Cl. VAN HOVEN (*nnn*), HECKER (*ooo*), VON HILDEBRANT (*ppp*), aliique, F. I. cauſis occaſionalibus contagium esſe jungendum.

Interim in nostra epidemia hujus indicia haudquaquam obſervare potuimus; illud quod quoque obſervavit Cl. PROMOTOR (*qqq*).

C A-

Joſephs Acad. in Wien; in qua p. 387. 435. continentur obſervationes notabiles circa intermittentes malignas, obſervatas in obſidione Mantuana. Vid. Cl. HUFELAND Bibl. T. VII. p. 82. ſeqq.

(*nnn*) l. c. p. 79.

(*ooo*) l. c. p. 267.

(*ppp*) Med. Chir. Zeit. an. 1799. III. p. 305.

(*qqq*) Vid. l. c. p. 59. 60.

CAPUT V.

Natura Febris Intermittentis.

§ XXXIX.

Quodſi nunc quaeramur, quae ſit hujus febris natura et materiale principium? hic nostram praeſtat profiteri ignorantiam, quam nullo fundamento hypotheſes asſumere. Nec juvat ab auctoribus, praeſertim priscis, excogitatas theorias hic adferre; quas omnes uberrime exhibuit Cl. BURSERIUS (*rrr*). —— Plurimi certe obſervantes in F. I. turbas primarum viarum adesſe, cauſam materialem in primarum viarum, chyli, bilis, ſucci pancreatici, vel et ſanguinis degeneratione quaeſiverunt; vereor autem, ne effectum febris cum cauſa confuderint.

Recentiorum autem multi, obſervantes F. I. in locis paludoſis, crediderunt miasma aliquod peculiare pa-

(*rrr*) l. c. a pag. 173 ad 174.

paludosum infundi vel immitti in corpus, et quolibet paroxysmo excuti sudore et urina lateritia: illud inter accessus accumulari et, naturae hac operatione dein expelli (*sss*).

Licet autem jam supra influxum aëris paludosi in genesin F. I. agnoverimus, tamen neutiquam nobis constat, verum miasma materiale in C. infundi, cum nihil hujus existentiam probet, multaque e contra demonstrent, absque ulla materiali eductione, hancce sanari febrem. Probant illud remedia quaevis roborantia, narcotica, imo animi affectus, hancce febrem sanantia.

§ XL.

Licet autem palam profiteamur, neminem hucusque sufficienter explicuisse naturam hujus febris, multo minus exposuisse rationem, quare regulari tempore accessus redeant, tamen tantum ex phoenomenis constare videtur, in hac febre systhema nervosum maxime suam scenam ludere. Illud primus perspexisse videtur summus HOFFMANNUS, qui causam (uti vocat) fundamentalem posuit in peculiari affectione spasmodica systhematis nervosi.

D Ni-

(*sss*) Vid. STRACK, de Feb. Int.

Nimis autem in sua opinione simplex I. BRUNO, licet recte perspexerit, praecipue in qualitate principii vitae alteratae latere hujus febris causam (*ttt*), credidit F. I. fundamentum esse hujus principii in C. debilitatem, adeoque hanc ad asthenicos morbos esse reducendam.

Quodsi autem ipsam consulamus experientiam facile patebit, hac idea non absolvi F. I. rationem, cum utique dentur F. I. phlogisticae, et regimine antiphlogistico curandae, in quibus quaevis stimulantia deletereos producunt effectus. Hinc est quod saniores et celeberrimi hodierni practici huic opinioni suum non addant calculum, uti HECKERUS, REILLIUS, et HUFELANDIUS.

§ XLI.

In hac autem opinionum dissensione, quid eligendum sit, difficile est tironi Medico decidere. Mihi autem non videtur absimile, quandam materiam ex aquis stagnantibus exhalantem graviter afficere systhema nerveum, illudque ad periodicas illas reactiones systhematis valculosi excitare; unde ad amplectendam HUFELANDII opinionem moveamur, statuentis naturam vel essentiam F. I. consistere in propria a-

(*ttt*) El. Med.

anomalia vis vitalis systhematis nervosi, quae se cum systhemate vasorum communicat, et hancce formam peculiarem adsumit; dum illud quibusvis morbis nervosis commune sit, quod periodice recurrant.

Quamvis autem haec Cl. Viri opinio maxime nobis naturae conveniens appareat, illa tamen, observante illud etiam Cl. PROMOTORE, (*uuu*) nondum explicat, qua ratione natura agat in producendis accessibus regularibus intermittentibus, nec et, quare typi diversi quotidianae, tertianae, et quartanae nunc adsint, nunc vero unus typus in alterum mutetur, vel quare nunc tertianae, nunc vero quartanae vel quotidianae epidemice observentur; illud enim aliquando, non vero semper, ab alia accedente complicatione pendet.

(*uuu*) l. c. p. 61.

CAPUT VI.

Diagnosis et *Prognosis.*

§ XLII.

Diagnosis F. I. regularis facilis est, nec cum aliis morbis haec confundi potest; symptomata enim evidentia, et regularis ac periodicus reditus eam facillime ab omnibus aliis distinguunt.

§ XLIII.

Haec autem D. molestior est, ubi a regulari forma abludit F. I., et vel sub morbi alius larva delitescit, vel naturae malignae est; solus enim periodicus morbi reditus ideam F. I. non absolvit, cum ille etiam in aliquibus morbis nervosis observetur.

Febres autem larvatae topicae intermittentes ex eo maxime dignoscuntur, quod illo tempore potissimum

com-

compareant, quo hae F. I. epidemicae ſint, ſtato et regulari acceſſu redeant, et apyrexiae tempore ſileant; ſed praeſertim, quod ordinariae non cedant curationi, verum ſolo ſpecifico F. I. remedio domari ſe patiantur.

§ XLIV.

Malignae autem, ſoporoſae, apoplecticae, aliaeque a WERLHOFIO, TORTIO. BURSERIO uberius deſcriptae, praeter modo memoratas indicia illud habent, quod vel in initio vel decurſu quaedam F. I. graſſantis habeant ſymptomata; quod vel a frigore incipiant, vel calorem habeant comitem, vel cum ſudore, acidum ſpirante, terminentur, vel urina ſedimentum deponat lateritium. Cum vero hae malignae febres vulgo inopino accidant, et non raro Medico imponant, ubi hae febres pernicioſae graſſentur, ſumme attentus ſit Medicus in earum curatione, ut fientis hujus febris indicia internoſcat, ne ſcilicet, plane hac formata febre, ſero medicina paretur. In harum notis recenſendis egregius est BURSERIUS (vvv). Illud itaque nunc unice moneo, quod Medicus omnino debeat inquirere, an ſub apyrexia inſolita appareant ſymptomata, an multa ſit linguae ſic-

(vvv) Confr. l. c. p. 175 et 239.

citas, jactatio, vomituritio, vel alvi dejectio meraca, an magna ad fomnum fit inclinatio, pulfus fi valde parvus, aliaque malignitatis latentis fubfint indicia.

§ XLV.

Quod ad Prognofin fpectat.

F. I. Prognofis multum variat pro vario charactere, complicatione, forma, et decurfu.

HIPPOCRATES dicit: „Febres quocunque modo intermiferint, periculum abesse, fignificatur." Ille autem aphorismus tantum fpectare videtur F. I. regulares benignas; irregulares enim aliquando periculofae funt.

§ XLVI.

Complicatae autem F. I. femper fimplicibus funt magis periculofae, cum raro curentur, nifi prius fublata complicatione. Illud periculum variat, pro varia complicatione.

Si fynocha complicata fit, vel levior tantum astheniae gradus, monente HECKERO (*www*), facilius ordinario curatur quam fi asthenica febris vel typhus hunc morbum comitatur. Complicatio quoque cum febre bili-

(*www*) l. c. p. 269.

liofa vel pituitofa felicior est, quam cum putrida, vel nervofa. Maxime molesta, et in nostro climate frequentisfima est complicatio catarrhalis, vel rheumatica, quae, fi non protinus ablegari queat, morbum longum et difficilem reddit (*xxx*).

Vernales curatu faciliores funt autumnalibus. Illae, ob majorem naturae activitatem, facilius in acutos, hae in chronicos transeunt morbos.

Tertianae citius quartanis et quotidianis fanantur; illud quod tamen exceptionem aliquando patitur.

Satius est paroxysmum anteponere, fi fimul reddatur brevior; tunc enim fponte cesfant. Postponentes vulgo diutius durare folent, et chronicae fieri. Nec tamen haec regula pro certa haberi debet, cum nos ipfi et Cl. PROMOTOR (*yyy*) plures quoque ab hac regula exceptiones obfervaverimus.

Vagae F. I. five postponentes, five anteponentes plerumque citius et facilius curantur, quam quae fixae fint, et ftata hora redeant.

Bonum est, fi quaevis ftadia legitime percurrant; quodfi enim vel unum vel alterum ftadium exfuperet anomalia obtinet, et febris moleste curatur. Si fudor deficiat non raro hydrops oritur, praecipue fi fimul urina rubra et parca fit (*zzz*); dum urina later-

(*xxx*) Vid. Cl. PROMOTOR l. c. p. 54.
(*yyy*) Vid. l. c. p. 50.
(*zzz*) Ibidem p. 56.

tentia in hoc morbo maxime laudanda optandaque sit.

Faustum signum exhibet exanthema circa os prodiens; sin vero nimis cito illud accidat, sordes adesse indicat.

Recidivae, praecipue in autumnalibus, die et septimana paroxystica timendae sunt.

Bonum est, si evacuationes naturales, quae durante hac febre erant suppressae, iterum prodeant, uti menses, hemorrhoides &c.

Exanthemate chronico, praesertim scabie laborantes facilius hac febre afficiuntur. Quodsi sub febre exanthemata dispareant, bonum est si iterum compareant; tunc enim morbus facilius tollitur. His retrocedentibus aliquando febris protinus redit.

§ XLVII.

Valde quoque diversa est P. pro aetate varia. Senes, ob deficientem naturae reactionem, saepe succumbunt, saltem difficilius curantur junioribus. In tenera aetate haec F. aliquando trucidat infantes.

§ XLVIII.

Febris, licet in genere pro naturae benificio haud habenda sit, aliquando tamen salutaris est, et morbos curat.

I.

1. In torpidis, pituitofis, et chronicis obstructionibus laborantibus, febriles accesfus egregie hofce morbos tullunt (*aaaa*).

2. In febribus intempestive roborantibus, Cort. peruv. &c. fublatis, indeque variis morbis chronicis laborantibus, febris accesfus rediens aliquando fummum beneficium naturae est.

§ XLIX.

Maxime autem infauftam reddit P. endemica F. I. natura, qua continuo, fublata febre, fomiti fuscipiendo funt expofiti; unde in nostra regione adeo molesta fit eorumdem radicalis curatio; ita ut, non tantum vel minimo in rebus (ita dictis) non naturalibus errore, fed etiam absque ulla evidenti caufa, relapfui expofiti fint.

Tandem pesfima quoque est conftitutio ipfa epidemica, praefertim in iis regionibus, in quibus endemice quotannis grasfari folent. Hinc in pertinaci cafu peregrinatio in fanum locum, ab his febribus non infeftum, unicum et certum nobis offert remedium (*bbbb*).

(*aaaa*) Vid. GRANTIUS l. c. pag. 79.
(*bbbb*) Ibid. l. c. pag. 68 & 69.

CAPUT VII.

Curatio.

§ L.

Cum paroxysmus febrilis fit operatio naturae, per quam materia aliena coqui et expelli debet per ipsas naturae vires, facile intelligitur, quod duplex in febre curanda sit indicatio, ut ad bonum et naturae accommodatum scopum paroxysmus ducatur, atque hinc talia tantum adhibeantur remedia, quae naturam blande adjuvent, symptomatum gravitatem moderentur, et obstacula removeant, quae hic offenduntur; dein ut ipsam materialem morbi causam tollamus.

Obtinet hic itaque alia curatio in accessu ipso, alia extra eundem.

§ LI.

In ipso accessu itaque in illud allaborandum est, ut

ut blande ſua absolvat ſtadia, et bona criſi per ſudorem aequabilem terminetur.

Non opus est, ut in febre int: ſimplici hic multa moliamur, cum ordinario natura ipſa huic operi ſufficiat, et plerumque tantum hic evitanda ſint ea, quae naturam in ſuo opere ſalutari turbant.

1. Itaque cavendum ne aeger directe ante acceſſum cibis ventriculum oneret. Natura quippe hoc tempore concoquendis cibis occupata esſe nequit, omniaque ingesta tunc multum gravant, anxietatem producunt, ac nauſeam et vomitum excitant, efficiuntque ut accesſus longe evadat gravior.

2. Accedente frigoris ſtadio, vel ſi fixa et ſtata hora adveniat accesſus, ante paroxysmi adventum aeger ſe lectum conferat, et ſe ſtragulis ſufficienter tegat, ut debite incaleſcere posſit; pedes et partes maxime frigore affectae ſicco calore foveri posſunt; cavendum tamen ne nimius applicetur calor. Aliquando inſtituendae *frictiones aromaticae* artuum, ſpinae dorſi, et ſcrobiculi cordis cum pannis laneis, aromate aliquo, *ung. laurino*, *ſpiritu lavendulae*, vel *balſamo peru*, imbutis.

3. Interne exhibeantur potus calidi, leniter antispasmodici et ad cutim pellentes, aromatici blandi, uti *infuſa flor. ſambuci*, *chamaemeli*, *melisſae*, *cort. citri*, *ligni ſasſafr.*; quo fotu interno optime ſpasmus cutaneus externus levatur. Quodſi ſpasmus

mus febrilis gravior, et rigor intensior fit, his potibus addi possunt *acetis ammon. liq.*, *aeth. nitr. alcoh.*, *aeth. sulphur. alcoh.* similiaque, quae egregie cutis spasmum solvunt, et frigoris stadium brevius reddunt. Cavendum autem, ne nimia quantitate potus ventriculus simul et semel distendatur; parcae enim et frequenter sumtae potiones melius sitim sedant, et non adeo nauseam, anxietatem et vomitum augent. Si autem febris summe asthenica est, et in senibus, aliisque morbo debilitatis accidat, aliquando etiam fortiora requiruntur, uti *infus. menthae piperitid.*, *vinum*, *spiritus vini* aqua dilutus &c. Quodsi autem sthenica subsit febris, cum omnibus stimulantibus caute mercandum est, et potius *acida vegetabilia*, *nitrosa* &c, ab ipso initio, potibus calidis, infuso theae &c. sunt commiscenda. *Balnea calida* hic, notante Cl. HORN, ante accessum, vel sub frigore, non adhibenda sunt, cum spasmum augeant (*cccc*).

4. Calore incipiente parum a stragulis detrahendum est, ne externo calore internus augeatur. Si calor valde exsuperat, pedes et manus aquae tepidae cum emolumento immitti possunt. Interne autem tales dentur potiones, quae calorem moderantur; inprimis *acida vegetabilia*, uti decoct. hordei cum succo ci-

tri

(*cccc*) l. c. p. 268.

tri vel limonada, fucco ribium, mororum, rub. id., vel cerasorum. oxymelle fimplici, vel aceto et facharo, aut tartrite potasfae acidulo &c., quibus, fi calor ardens fit, *nitri* parca portio addi potest.

5. Quodfi autem delirium grave fit, vel alia fymptomata congestionem ad nobile viscus indicent, hic utique in hocce ftadio convenit paucum fanguinis detrahere; quod aliquando fummum et momentaneum affert levamen. Vs. autem non in quavis febre facile inftituenda est, ne molimina naturae nimis debilitentur, et ad bonam crifin producendam inhabilia evadant.

6. Incipiente fudore iterum corpus magis tegendum est, cavendo tamen ne nimio fudore colliquatio producatur. Dandi hinc potiones calidiores, quam in caloris ftadio, uti *ferum lactis vinofum*, *inf. flor. fambuci* &c., ut humores amisfi restituantur, et, potu diluente materia febrilis diluta, mobilis reddatur, quae per vias fudoris et urinae commode et facile expelli posfit.

7. Sudor autem ita moderari debet, ne vel nimis copiofus fit, nec et diutius, quam par est, duret; cum hocce corpus maxime debilitetur, et aliquando, fi nimis gravis fit, inde emaciatio et cachexiae profluant. Si fudor nimis fit profufus egregie conducunt *acida mineralia* cum potibus mista.

8. Cavendum autem utique, ne fudor intempestive

ve ſupprimatur, inde enim pesſimae profluunt ſequelae. Hoc enim ſuppresſo aliquando acuta fit febris, vel et ſpasmi, aphonia, paralyſis &c. accidunt (*dddd*). Saepius autem, ſi aeger, lectum relinquendo ante ſudorem finitum, illum recedere faciat, vel redit acceſſus, ut illud, quod paroxysmo febrili concoctum est, novo ſudore excitato expellatur; vel ipſa febris complicationem ſubit.

9. Stadio ſudoris abſoluto, corpus abſtergendum, et linteae mutanda ſunt, quando ſomnus et quies concedenda, et parum vini vel alicujus potus cardiaci praebendum est, ut hoc pacto vires amisſae refocillentur.

§ LII.

Quamvis autem haec curatio proprie mere ſit palliativa, tamen hac ſaepe ſola morbus ſubjugatur, quando per ipſum paroxyſmum febrilem normalis corporis ſtatus redit; illud quod in febre leviori, maxime vernali, ſaepe obtinet. Interim et hoc anno, etiam in gravioribus febribus, 2º vel 3º paroxyſmo absque ulla remanente ſequela morbum ſublatum fuisſe vidimus.

§

(*dddd*) Vid. VOGEL l. c. p. 157.

§ LIII.

F. I. autem curatio proprie extra accesſum inſtituenda est. Atque hic ſequentes indicationes videntur esſe adimplendae.

I. Ut *cauſae remotae et complicationes morbi tollantur.*

II. *Cauſa morbi materialis curetur.*

III. *Morbi ſecundarii vel ſequelae ſubmoveantur.*

§ LIV.

Curatio ſcilicet F. I. extra accesſum fit, vel *methodo communi*, qua cauſas F. I. remotas amoveamus, et ſic obſtacula tollamus, quibus vel natura vel arte per remedia idonea tolli posſit; vel *ſpecifica*, qua ipſam morbi cauſam materialem, modo nondum explicabili, et ſic accesſum cum ipſius ſequelis amoveamus.

§ LV.

I. Cauſae quippe remotae, et complicationes, quae fomitem morbo ſubminiſtrant, prius tolli debent, antequam ſolide curari posſit F. I.; caeterum enim graves noxae, a febrilis accesſus ſuppresſione, accide-

re posſunt. Quodſi enim corpus ſordibus turgeat, vel phlogistica ſubſit labes', aut catarrhale vitium, facile intelligitur hanc prius auferendam esſe complicationem, antequam ipſa tollatur accesſus; caeterum vel graves oriuntur obſtructiones, vel F. I. continua redditur.

Ne autem in harum conplicationum curatione nimis ſim prolixus, verbo monuisſe ſufficiat:

1. In F. I. vernalibus, et aliquando etiam in autumnalibus, in quibus labes phlogiſtica ſubſit, ſaepe nimiam naturae reactionem minuendam esſe venaeſectione, eaque ſaepe repetita, ut natura ſui juris fiat, et criſin moliri posſit.

2. In vernalibus aeque ac autumnalibus in initio, cum ſaepe remisſio, non vero plena ſit intermisſio, vulgo ſordium adesſe in primis viis accumulationem, easque medicamentis reſolventibus esſe curandas, donec indicia turgescentiae adveniant, tumque eas, pro varia indicatione, emeticis vel purgantibus esſe tollendas.

Licet neutiquam velim commendare nimiam adhibitionem evacuantium, praecipue tempore epidemiae, quando ſaepe nulla horum adest indicatio, tamen, praeterlapſo autumno, adeo indicatus erat ruri emeticorum et catarticorum ſtrenuus uſus, ut illi empirici, qui repetitim emeticis et catharticis bilioſas remittentes curaverunt, vix intermittentes ex his ortas viderint; dum alii, qui vix vel parcius eas adhibu-

e-

erunt, diuturnas et molestas eas tractandas habuerint.

3. Saepe fordes et infarctus in primis viis effectus funt F. I. In his tamen tollendis, primo occupatus fit Medicus, ne fpecificum noxas creet.

4. Si catarrhalis adfit labes fimul cum F. I., remediis *ftibiatis*, *et fudoriferis diluentibus* haec complicatio prius tollenda est, antequam de adhibitione fpecifici cogitari queat; caeterum enim facile febris continua generatur. Si dolores rheumatici locales adveniant, ufus veficantium non negligendus est.

5. Cavendum autem est, ne in adhibenda curatione antiphlogistica et antigastrica nimii fimus; etenim faepe fit, quod fub horum ufu vires vitae et digestionis pesfumdentur, et, deficientibus licet fordibus, non tantum lingua magis reddatur infarcta, fed etiam cachectica adveniant fymptomata; tunc utique directe F. I. tollenda est.

§ LVI.

II. Unicum F. I. *fpecificum* remedium est *cortex peruvianus*. Illum fpecificum dicimus, cum nulla in hac detur qualitas fenfibilis, qua non facile ab alio aliquo medicamento communi vincatur, quae tamen haudquaquam adeo certe et tuto in ipfum paroxysmum febrilem operantur, eundemque ex

integro tollunt. Longum foret de hoc medicamento uberius disserere; hinc pauca tantum de varia ſpecie, hujus uſu, et abuſu dicturi ſumus.

Inter varias ſpecies divini hujus remedii, in officinis nostris proſtantes, omnibus reliquis palmam praeripit *C. P. ruber genuinus*; hunc efficacia ſequitur *C. P. ordinarius*; dein cortex ille, qui hodie ſub nomine *regii* venditur, caeteris viribus cedere videtur. Saltem in iis febribus, quas vel ipſi curavimus, vel in Noſocomio tractatas vidimus, corticem rubrum longe prae ordinario, et ordinarium prae regio praeſtare obſervavimus; etenim longe certius febrem curavimus adhibito C. P. rubro, quam ordinario; et licet in multis quoque febribus tollendis vulgatus nunc et vilior, ita dictus, C. regius egregrie ſufficerit, tamen quoque multos habuimus caſus, in quibus febris hoc cortice ſe abigi non patiebatur, facile tamen et longe minori quantitate vel cort. flavi vel rubri domabilis.

§ LVII.

Convenit autem C. P., ubi ſolis naturae viribus F. I. domari nequit, et corpori noxas creat. Non tamen in hoc adhibendo expectandum est, usque dum vires deperditae ſint. Praeſertim conducit adhibere corticem in F. I. autumnalibus, illudque proti-

tinus, ubi nulla complicatio ejus uſum vetat. In vernalibus quoque, praecipue tempore humido et pluvioſo, cito ad hoc remedium transeundum est; longe enim citius et minori C. doſi eae curantur, ſi recentes ſint, et longe minus recidivae imminet periculum, quam ſi inveteraverint. In primis ſtatim ad corticem confugiendum est, ubi vel febres ſubintrent, vel anomala producant ſymptomata, aut, ita dictae, F. perniciosae compareant; tunc protinus majoribus hujus remedii doſibus F. compescenda est et novus paroxyſmus praeveniendus (*eeee*).

§ LVIII.

Conducit porro egregie non tantum ad ipſum acceſſum tollendum, ſed etiam varias ipſius ſequelas praeveniendas, quae ab acceſſu, ceu cauſa profluunt; ita ut languorem, debilitatem, imo hijdropem &c, ſimul cum aliis adaptatis remediis, optime ſanet (*ffff*).

§ LIX.

Non tamen illud remedium ſine ratione et indiscri-

(*eeee*) Vid. WERLHOF, TORTIUS, BURSERIUS, l. c. pag. 199.

(*ffff*) Vid. VAN HOVEN & HORN l. c.

minatim dandum est; dantur enim rationes, quae ipsius usum vetant.

1. Enim non convenit in initio F I., quando haec depuratoria sit, bonum in corpus effectum praestet; tunc enim salutares naturae motus supprimit.

2. Ubi complicatio adest inflammatoria, quae primo vsone et regimine antiphlogistico domanda est; caeterum enim facile haec continua redditur.

3. Ubi sordes gastricae vel biliosae in corpore hospitant, tunc quippe cortex male cedit, et obstructiones vel infarctus producit.

3. Si complicatio catarrhalis vel rheumatica adsit; tunc quippe nullum effectum praestat C. Peruv., et non raro inde redditur gravior febris, uti hoc tempore illud saepius observavimus.

§ LX.

Circa rationem exhibendi C. P. variant auctores. Variat certe dosis pro varia aetate, et corporis constitutione, febris duratione, et epidemica constitutione; variat et pro vario typo. Docuit scilicet experientia, quartanam longe maximam requirere corticis quantitatem ad tollendos accessus; dein quotidianam; facilius autem et minori quantitate C. tertianam submoveri posse; illud tamen in omni casu non procedit. Boni C. P. ℥i ordinario sufficit ad tertianam

tol-

tollendam, dum ad quartanam aliquando ℥iß et ad quotidianam ℥i requiratur. Non vero eodem redit, quo tempore et qua dosi exhibeatur. Dummodo ventriculus id ferat longe satius est magnas doses exhibere, et brevi intervallo, quam majores longiori. Plurimi partitis vicibus, et directe post paroxysmum C. P. dandum esse praecipiunt; atque illud revera praestat in debilibus, qui illum non facile digerunt. Ex praecepto Romano autem dabantur ʒii C. P. ante accessum ex vino, quae sufficiebant ad quartanam rebellem vincendam. Haec tamen methodus ob anxietatem, quam aliquando producebat, in desuetudinem abiit, et longioribus intervallis minores exhibuerunt doses die apyrectico.

Non possumus dare hic generales regulas. Si febris levior sit, nec diu duravit ℈i vel ℈ii, aliquando ʒi febres tertianas tollunt, si ante accessum dentur; nec hae etiam doses anxietatem pariunt. Sic saepe etiam rebelles ad alia remedia curavimus intermittentes in Nosocomio Clinio (*gggg*), sed, cum haec methodus aliquando nos derelinqueret, etiam ad solitas doses, ʒi vel aliquando plurium, ℥i et ultra C. P. dedimus bono cum successu.

Cum C. P. adeo caro nunc veniat pretio, recentiores tentarunt minoribus dosibus F. I. sanare; illud

 eti-

(*gggg*) Vid. Cl. PROMOT. l. c. p. 72. seqq.

etiam, testante HORNIO, ſaepe ſuccedit Nos quoque in recentioribus febribus aliquando eas perdomuimus datis gr. x C. P. boni ante acceſſum.

§ LXII.

Praeſtat dare C. P. immutatum et in ſubſtantia; tunc enim vires integras posſidet et nulla arte haec emendari potest. Illud ſuo tempore jam obſervavit SYDENHAMUS (*hhhh*). Miscetur autem vulgo cum ſyrupo aliquo grato, vel, quod praeſtat, cum vino, ut melius a ventriculo feratur, quo vires optime extrahuntur. Plerumque, ſi cortex in pulverem teratur ſubtilem, et vel vino vel aquae aromaticae misceatur, modica doſi asſumtus nullam molestiam creat.

Quodſi autem, ob vires digerendi debiliores, nec hoc modo aeger ſumere posſit C. P., vel forma decocti, vel extracti, vel ope magneſiae uſtae ſubactus, vel in infuso vinoſo, vel infuso frigido datur. Praeſtat tamen C. P. in ſubſtantia praebere, cum longe majores horum omnium doſes requirantur. (*iiii*)

Sin

(*hhhh*) Op. T. I. p. 192.

(*iiii*) De omnibus autem his C. P. praeparationibus hic agere non lubet, cum de his uberri-

me

Sin vero nulla ratione ore asſumi queat C., aliquando clyſtere, vel in balneo, aut cataplasmatis forma, imo pulvere ſicco applicatus febrem ſustulit.

§ LXII.

In exhibitione autem etiam qualicunque C. P. illud obſervandum, quod, ablata febre, non protinus ab ejus uſu ſit deſistendum, cum tunc ſaepe redeat febris, nec et diu admodum continuo asſumendus ſit, cum tunc aliquando ſub hujus uſu redire ſoleat, ſed quod ſenſim ab ejus uſu ſit deſistendum, praecipue ſi febris recens ſit, et tandem quod, cum F. ſaepe ſtato tempore recidivas faciat, ad illas praeviniendas, conducat iis temporibus tantum asſumere C. P., quantum ad tollendam illam febrem ſufficiat. Ita in quartana, ſeptimana tertia, et die paroxystico, convenit ſumere ℥ß C. P. 4 doſibus, vel hora accesſus ℈ı vel alteram, illudque etiam repetere ſequenti tertia ſeptimana; ſic enim, teste WERLHOFIO, aliisque, optime, praeſertim epidemiae tempore, recidivae praepediuntur. Cum caeterum debilitas et atonia ven-

me egerint RAHN in adverſariis T. I. MURRAY, aliique; et de *cortice peruv. novo* TANGIONI in HARLES neues Journ. der Ausl. Med. Chir. Litteratur. VIII. Iſte. ſt. p. 140.

triculi adsit, tempore intercalari conducit tonicis et roborantibus stomachicis viscera firmare.

§ LXIII.

Licet in genere verum sit SYDENHAMI effatum (*kkkk*), quod, *praeter vehiculum necessarium ad corticem peruv. in ventriculum transmittendum, nihil sit addendum*, tamen recte declarat Cl. VOLTELEN *hoc additamentum: aut ex ignorantia peccant vel dolo malo, a quo vir probus abhorrebit, acre nimis esse, atque acerbum, nimisque esse generale, illudque facile evenire, quod, quamvis C. P. primario, cui adhibetur, fini abunde sufficere, tamen constat, alia simul corpori inhaerere mala, diversa a cortice peruv. remedia exigentia, ideoque huic jungenda; posse conditiones in corpore locum habere, quae ejus usum, nisi tollantur, minus efficacem reddunt, imo posse ex ipsis Cort. principiis effectivis in nonnullis casibus produci effecta, quae, aliis remediis additis, vel praecaveri vel tolli debent, ne primariae curationi obsint* (*llll*). Ob complicata sc. symptomata saepe C. P. per se dari nequit; vel ob alias in C. conditiones simul tollendas, saepe alia in-

(*kkkk*) l. c. p. 192.

(*llll*) Pharm. § 319—320.

indicatio ſimul adimplenda est, quando vel corrigi debeant nocivae C. qualitates, alio addito remedio, vel etiam hac ratione ſimul alius ſcopus adimpleri patuit.

Si itaque metus aliquis inflammationis ſubſit, et tamen febris auferri debeat, cortici *nitras potasſae* additur. Si ſordes vel obſtructiones hic illic nidulentur, *rheum* vel *tamarindi* huic junguntur. Sin pituita vel vaſorum obſtructiones praeſto ſint, optime huic additur *Tart. potasſae ſtib.*; cujus additio, in longis et rebellibus febribus, in quibus ſaepe viſcerum obſtructiones praeſto ſint, nobis optime cedere viſa est. Methodus haec addendi C. P. *Tart. Pot. Stib.* jam antiqua est, a CORNETTE et DESMILLEVILLES jam diu commendata, a recentioribus autem denuo in uſum vocata (*mmmm*); ſic quippe principio adſtringente C. P. decomponitur *Tart. Pot. Stib.* et ſimul quoque haec vis adſtringens nociva infringitur. Varia hunc in finem praeparatio est commendata. Saepius praeſcriptio Doct. MAGDEVALLII nobis in Noſocomio in uſu fuit; testaturque Cl. PROMOTOR hanc, in quibusvis febribus rebellibus, praecipue cum obſtructionibus junctis, illi optime cesſisſe. Sequenti modo praeſcribitur:

 ℞

(*llll*) Memoires de la Société Roy. de Med. T. III. HAUTESIERK, Obſ. T. I. p. 187. Vide et VOLTELEN, Pharm. T. I. p. 358—359.

℞. Cort. Peruv. Flavi ℥i
Sal. Abſynthii.
—— Ammon. ā ℈i
Tart. Emetici gr. xviii.
Syrup. Card. Ben. q. s.
m

Doctisſ. LUCHTMANS nuper commendavit decoctum C. P., in quo calido Tart. Pot. Stib. ſolvebatur. Monendum tamen quod Cort. ruber, utpote acido gallaceo destitutus, adhiberi non debeat, cum vomitum cieat. Licet aliquoties etiam hoc remedio, et cum ſucceſſu bono, uſu fuerimus tamen melius ceſſat Electuarium praecedens (*nnnn*).

Saepe ventriculus adeo debilis et incitabilis est, ut Cortex ab eo non feratur; tunc juxta Cl. BRERA conducit huic jungere *Nitras Bismuthi* (*oooo*).

Saepius etiam ad hanc corticis digestionem a ventriculo promovendam, addimus huic *excitantia volatilia*, uti vinum, quaevis aromata, fabas pechurim, corticem cinamoni, cascarillae, aurantiorum, folia macis, nucem mosſchatam, rad. ſerpent. virginianae, cariophyllatae, et indigenum aroma, rad. cala-

(*nnnn*) Vid. Doct. LUCHTMANS disſ. inaug. de comb. C. P. cum Tart. Emet. Traj. ad Rhenum 1800.

(*oooo*) Obſerv. Medicae.

lami aromat. quem recentiores Germani in primis commendant; maxime ſuadet Cl. BRERA addere *aetherem ſulphuricum.*

Ubi tonus fibrarum valdere laxatus est, egregie huic additur *ſulphas aluminae acidul.*, *acidum ſulphuricum*, *murias ferro ammoniac* et ipſum *ferrum.*

Si alvus nimis cita ſit, vel ſi cortex diarhaeam excitet, ſimul *theriaca*, vel ipſum *opium* cum aromatibus dare convenit.

§ LXIV.

Diximus corticem peruvianum ſpecifica et nobis incognita ratione curare F. I. Cum vero caro admodum pretio veniat medicamentum illud, et conſtitutiones dentur, quae illud non facile ferant, jam diu ſolliciti fuerunt de inveniendo medicamento *ſuccedaneo* corticis. Tanta autem horum medicamentorum, in hoc morbo tentatorum, copia est, ut de omnibus dicere dies vix ſufficeret; hinc verbo tantum de quibusdam agemus, praecipue de iis, quorum adhibitionem ipſi obſervavimus.

Sunt autem haec vel talia, quae qualitatibus ſenſibilibus cum C. P. aliquatenus conveniunt, et quorum effectus non adeo *ſpecificus*, quam *communis* est; vel talia, quae, nullatenus cum hoc ſpecifico convenientia, ſola empirica ratione data ſunt.

§

§ LXV.

Ad priora pertinet *Cortex Hippocastani*, qui certe maxime cum C. P. convenit, ita quidem ut decoctum saturatum vix ab eo, quod a cortice peruviano paratur, distingui possit. Continet tamen minorem extracti et resinae quantitatem. Inprimis laudatus est a ZANICHELLIO, TURRA, aliisque, ut et recentius a Cl. BRERA et MOSCATI, qui illum ad ℨß saepius de die bono cum effectu dederunt. Quamvis autem illum in hoc morbo saepius exhibuerimus, tamen inde nullos vidimus effectus specificos. Cum vero vim egregiam possideat tonicam, amaram, stomachicam et adstringentem, tunc egregie convenit, quando habitus corpori febre diuturna infectus sit, et hinc etiam tonica indicentur, vel ubi sola debilitate accessus continuant. Hinc ex sapienti Cl. HUFELANDII consilio eum cum Cortice Peruv. combinavimus, quando certe minori dosi febrem subjugare possemus, quam si eandem quantitatem C. P. sine hoc additamento praeberemus (*pppp*).

Cortex salicis albae vulgaris et *fragilis*, medicamentum roborans tonicum et adstringens, etiam ab HAL-

---

(*pppp*) Journ. T. XXI. BRERA p. 173. MURRAY T. II. p. 199. et VOLTELEN p. 285. porro HORN p. 257.

HALLERO, CLOSSIO, GUNZIO, STONIO, sed maxime a nostro Cl. v. GEUNS *(qqqq)* in febribus intermittentibus adhibitum, in iisdem casibus, in quibus C. Hippoc. indicatur, et eadem ratione utilis est. Non vero nobis probatae fuere vires febrifugae specificae, cum saepius et absque fructu illum in iis casibus adhibuerimus, in quibus F. facile cort. peruv. cedebat. Vernales aliquando febres fugat, nunquam autem autumnales rebelles, consentiente quoque Cl. VOLTELEN, hoc fugare potuimus. *(rrrr)*

Cortex *Angusturae*, quae, praeter amarorem, nauseosi quid habet, ante aliquot annos ex America allatus ad F. I. fuit commendatus: a nobis aliquoties adhibitus est, sed vix aliquas habere videtur specificas vires.

Radix Gei Urbani vel Carijophijllatae, valde a BUCHAVIO commendata, aliquoties intermittentem vernalem vi sua roborante et stomachica sustulit; in plerisque tamen casibus nihil prorsus effecit. *(ssss)*

A.

(qqqq) Koning. diss. de C. Sal. Albae Vulg. an. 1778.

(rrrr) Pharm. T. I. p. 287, uberrime de hoc egit, confirmat dicta etiam Cl. HORN, l. c.

(ssss) Observationes circa vires ejus in Febribus praecipue Interim., Hafniae 1731. Idem de hoc remedio judicium est Cl. VOLTELENI p. 277.

Amara autem *quaelibet*, uti gentiana, centaureum, carduus benedictus, artemisia maritima, in iis tantum proficua febribus, in quibus ob tonum deficientem febris continua sit, vel ob peculiare genium morbi C. P. non ferebatur, utpote nimis adstringens; ita in pluribus febribus, C. P. non profligandis, haec amara sola profuere; ita febres plures pertinaces, C. Per. resistentes, infuso Card. Bened., absinthii, calami aromatici, centaurei hoc anno curatae sunt. In aliis autem casibus prorsus nihil efficiunt.

Memorandum hic adhuc medicamentum indigenum. *Flor. chamomillae vulgaris*, qui non tantum sua amaritie egregium exhibent tonicum, sed etiam vi egregia antispasmodica pollent, et hinc iis in casibus saepe F. I. tollunt, in quibus ob ventriculi debilitatem cort. peruv. ferre nequeat.

§ LXVI.

Ad alteram classem specificorum talia reducimus, quae nullam quidem convenientiam cum C. P. alunt, et empirice magis hic adhibita sunt.

§

277. et PROMOT. l. c. p. 80, qui aliquando etiam hoc duplices tertianas ad formam simplicem reduxit.

§ LXVII.

Hic primo recensenda *Acida mineralia*, acidum muriaticum, sulphuricum, et alia, uti phosphoricum &c., quae a REICHIO aliisque commendata sunt ut specifica in F. I. Haec quidem conducunt in iis casibus, in quibus nisum ad putredinem cum F. I. copulatur; in ipsos autem accessus vires nullas exserere nobis visa sunt. Illud idem profitentur Medici ipsi Berolinenses. (*tttt*)

§ LXVIII.

Ab eo tempore, quo Cl. SEGUIN magnis laudibus extulit *collam*, ejusque usum non tantum Medici Itali, sed et Galli, et Germani in F. I. commendarunt, hoc remedio varia forma et praeparatione usi fuimus. Illud tamen nunquam expectationi nostrae satisfecit, atque hinc ab hujus adhibitione jam diu abstinuimus. (*uuuu*) §

(*tttt*) Omnino conferenda sunt, quae de his habet Cl. HORN l. c. p. 262.

(*uuuu*) De colla conferri possunt Cl. SEGUIN in Diario HUFELANDI T. XVIII. p. 220. seqq. REMER ibid T. XXV. p. 3. p. 89. ib. T. XXVII. I. p. 114.

§ LXIX.

Arfenicum, venenum adeo infidiofum, vix in nostris aegris tentare aufi fumus, eo magis, quod fummi in arte viri JUNCKERUS, STAHLIUS, STORCKIUS, PIJLIUS aliique ufum hujus remedii damnaverint. Recentiores autem ab hac adhibitione non adeo alieni funt, et nuperrime a Cl. BRERA, et dein a Cl. HARLES illud fuit commendatum (*vvvv*). Putant fcil. hanc metallicam fubftantiam, oxijdi forma, aqua folubilem esfe, et adeo debita forma et minori dofi dari posfe, ut vix nocere queat. Tunc autem illud inprimis convenire cenfent, quando intermittentes vernales aeque ac autumnales a fubita aeris vicisfitudine accidant, et hinc organum cutaneum praeprimis patiatur; in cujus organi cutanei actione reftituenda, praecipue fi cum opio jungatur, inprimis actuofum reputatur arfenicum. Ad corrigendas porro pravas hujus veneni effectus varia alia adjungere iis placuit corrigentia remedia. PLENCISIUS cum *a. aromaticis*, ADAIR cum *flor. fulphuris*, FERRIAR cum *potasfa* combinaverunt; Cl. BRERA, FERRIARI folutionem quoque in Clinico Ticinenfi adhibuit, nullumque inde malum effectum percepit. Formula fequens est:

℞.

(*vvvv*) Journ. der Ausl. Med. litt. T. VIII. et BRERA p. 179—215.

℞. Arsenici Alb. ʒß.
Solve aq. destill. ℥vi adde
Aquae cinnamom ℥ii in qua solutum est
Sal potassae ʒi.

Hae ℥VIII continent fere 4608 guttas; quaelibet gusta $\frac{1}{125}$ gr. partem arsenici cum duplici potassae portione. Datur a gutt. IV ad XV cum mucilagine pilulari forma, vel, quod praestat, ex aqua pura, ter vel quater de die. Confirmat suam curationem 24 casibus.

Tantum semel tentavimus arsenicum dosi moderatissima in Nosocomio in quartana ad quaevis rebelli. Febris quidem imminuebatur, sed sequebantur anxietates et animi deliquia, ita ut ab hujus usu desistere debuerimus. Dein autem majoribus dosibus cort. per. curatus est aeger. Doct. GILLIBERT in pertinaci quartana etiam arsenicum adhibuit (*wwww*).

§ LXX.

Recentius quoque laudavit Cl. BRERA *sulphas cupro ammoniacale* ad ¼ grani partem, omni bihorio exhibitam. Illud aliquando, sed tantum cum C. Per. in Nosocomio in subjectis debilibus, cum successu adhibitum vidimus.

F §

(*wwww*) *Obs. de Med.* p. 343.

§ LXXI.

Nux vomica, medicamentum etiam ſatis heroicum, minori doſi vires tonicas et antispasmodicas egregias exſerens, a variis quoque auctoribus ceu ſpecifica laudata, ſaepius ſine multo effectu in Noſoc. exhibita est; interim in quartanis rebellibus ad gr. 1 cum cort. peruv. pro doſi data, egregias praeſtitit vires. Videtur autem quoque cort. peruv. vires nocivas infringere et moderari.

Amygdalae amarae, ab HUFELANDIO commendatae, (*xxxx*) a nobis ſaepius incaſſum ſunt adhibitae.

§ LXXII.

Hactenus de cauſis remotis tollendis et cura ſpecifica egimus. Restat autem, ut de alia methodo hasce febres curandi verbo agamus, ſc. de *methodo praeveniente*, qua tollimus paroxysmum, eum turbando, vel aliam inducendo impresſionem ſysthemati nervoſo. Hac nituntur pleraeque curationes per remedia ſuperſtitioſa vel anilia; ita aliquando gravi terrore, laetitia, ira, vel animi concusſione, febis interm. tollitur. Non omnes autem hae methodi, quibus vulgus in-

(*xxxx*) l. c. p. 154.

incautius utitur, suo vacant periculo. Sic grave exercitium, post ingestos potus aromaticos vel spirituosos, aliquando accessum tollit; sed non raro quoque febrem gravem continuam, et mortem conciliare potest.

§ LXXIII.

Huc spectant quoque *Emetica* ante accessum adhibita; quod remedium aliquoties in Nosoc. tentavit Cl. PROMOTOR; hoc quidem aliquando per aliquot horas postponebatur febris, nunquam vero sublata est; saepe autem graves producebat anxietates, ita ut ab ulteriori usu desistere consultum esset (*yyyy*).

Atque huc etiam referre debemus remedium illud, quod ab UNZERO commendatum est, scilicet magnas doses *sulphur. oxyd. stibii Hydrog.* cum lapide cancrorum exhibere (*zzzz*).

Formula haec est

℞ Sulph. Aurat.
Tart. Vitriol.

 P.

(*yyyy*) GILLIBERT, *le Med. Nat.* p. 137., adhibuit cum successu *rad. asari* gr. x ante accessum. Commendavit et ea SCHAEFFER in Med.-Chir.-Zeit. 1808. T. II. p. 279.

(*zzzz*) V. HOVEN, T. II. p. 55 et 199.

P. ostr. pr. ā ℥ß
F. pulv. No. IV.
S. Omni 3ª hora detur pulv (*aaaaa*)

Haec curatio saepius hoc anno in Nos. Cl. a nobis adhibita est; egregie conduxit quando complicatio rheumatica et pituitosa cum F. I. copulabatur, quando demum, sic eductis sordibus, optimo cum effectu dabatur cortex; nunquam tamen hac sola curationem absolvere potuimus.

§ LXXIV.

Ad turbandum accessum suadent nonnulli, ut *diaphoretica* assumantur cum regimine ad sudorem, ut sic tempore accessus spasmus febrilis praecaveatur, eo quod tum pori cutanei aperti sint. Hunc in finem suadet Cl. GRANTIUS (*bbbb*) ut sumatur magna dosis Muriatis ammon. et superbibatur infusum Fl. Chamom. Illud quidem in Nosoc. Clinio per aliquot

(*aaaaa*) Vide de Artz. T. XII. —— Pulvis a FISCHERO commendatus ex *saccharo* et *kerm. minerali* fere eodem redit. HUFEL. Journ. T. XXV. p. 2 et p. 279: et Pulvis ab HELLERO exhibitus constans ex *Ipecac.* et *Cremore Tart.* ibid. 4 St. p. 1.

(*bbbb*) p. 70.

quot horas accessum postposuit, non vero sustulit, nec hinc aliquid beneficium fuimus experti. Cl. PROMOTOR in uno casu haustum stibiat. opiatum ante accessum dedit; sequebatur autem adeo gravis accessus febrilis, ut dein mox ille Cort. Peruv. domari debuerit. *(ccccc.)*

§. LXXV.

Eidem scopo etiam a variis datum est *opium*, quod, licet a multis tanquam summum antispasmodicum laudetur, tamen nimis vim cordis et vasorum videtur excitare, et hinc ab HECKERO aliisque damnatur. Idem est testimonium Cl. HORNII *(ddddd)* Saepius quoque illud in Nosoc. adhibuimus: constanter tamen inde noxios experti summus effectus. Multo minus autem videtur convenire in febribus soporosis, in quibus WERLHOFIUS illud maxime damnat, cum qua opinione etiam convenit illa HOFMANNI & WIRTENSOHNII. *(eeeee)* Laudat tamen Cl. HORN combinationem opii cum cortice peruv. in quartanis rebellibus, quando cuilibet dosi corticis gr. ½ vel integrum addebat. Optimos quo-

 que

(ccccc) Conf. l. c. p. 75.
(ddddd) L. c. 252.
(eeeee) v. HOVEN, p. 284.

que Cl. PROMOTOR inde vidit effectus, quando symptomata spastica cum febre copulabantur. (*ffff*)

§ LXXVI.

III. Tandem ad ultimam pervenimus indicationem, scilicet ad ea, quae observanda sunt ad tollendas sequelas et morbos secundarios, a febre interm. residuos. Ne autem in hac amplissima materia nimis prolixus fiam, haec paucis numeris absolvere liceat.

1. Igitur si F. I. in remittentem vel subcontinuam abeat, haec pro vario morbi genio curanda est. Illud autem saepe a complicatione pendet, unde vel curatio antiphlogistica vel resolvens et antigastrica adhibenda est, quae vel integrum morbum submovent, vel eum ad regularis intermittentis formam redigunt. Hac ratione vernales synochi imputres, ex intermittentibus saepe orti ex neglectu debitae curationis, plerumque iterum sub bono regimine intermittentis formam adsciscunt; uti illud saepius hoc anno observavimus. Alia longe est res, si tempore humido et pluvioso continuo accessus elongentur, et tandem unus

(*ffff*) Vide REIMARUS de Opii usu in F. I. MURRAY App. Med. T. II. p. 312. & BRERA Med. Pract. bem. T. I. p. 176. VAN HOVEN, p. 284.

unus accedat accesſus, antequam alter plenarie abſolutus est. Haec ſubintratio protinus tolli debet cortice peruviano, ita ut, remittente paulisper febre, ſtatim ante novum accesſum ingeratur, qua ratione ſola debite curari posſunt. Sin vero in putridam vergat naturam F. I. et continua fiat, tunc eadem ratione, qua putrida Febris, curari debet, antiſepticis & roborantibus; tunc enim C. P. non amplius ſpecificus est, ſed communes vires roborantes et tonicas exſerit.

2. Si F. I. in *Hecticam* abeat, et huic accedat tusſis, et indicia *Phthiſeos Pulmonalis*, ſaepe omnis curatio vana est. Plerumque hic morbus tunc nimis diu ſibi relictus et neglectus fuit. Si morbus in fieri ſit, C. P. larga doſi cum remediis tonicis, et roborantibus unicum, cui fidi posſit, exhibet remedium. Plures hoc anno, larga manu C. Per. exhibendo, curavimus. Quodſi vero jam diarhaea colliquativa et organica pulmonis destructio adſit, omnia remedia vana deprehendimus; illud quod etiam obſervavit Cl. HORN.

3. Si F. I., amisſa intermisſione, in localem inflammationem abeat, res periculoſae aleae luditur. Hoc in caſu regimen ſumme antiphlogisticum ſolum aegrum ſervare potest; quando, ſedata inflammatione, F. I. plerumque ſimul jugulata est: aliquando autem ſub pristina redit forma.

4. Quando F. I. autumnales vel neglectae ſint, vel ſta-

ſtatim C. Peruv. aut adſtringentibus curatae, et hinc infarctus pituitoſi, indurationes, et obſtructiones accidant, hae febres, ipſarumque ſequelae non admittunt C. P. uſum, eoque graviores et pertinaciores redduntur. Illud in decurſu hujus epidemiae obſervavimus frequenter, et quotidie adhuc ruri experiuntur Medici. Hae febres cum ipſius ſequelis longe alia ratione curandae ſunt; et hic inprimis conducunt *reſolventia*, uti extracta reſolventia, et ſalia media reſolventia; Decocta ſaturata Taraxaci, cum ſale quodam medio in plerisque caſibus optime ſatisfaciunt. Tartr. Pot. Stib. parca doſi, cum larga doſi muriatis ammoniae, hic quoque egregie conducit. Salia alcalina, tanquam egregie attenuantia et incidentia, in hac epidemia egregias ſuas vires oſtenderunt. Carbonas Potasſae Alcal. aqua ſolutum, et ſat magnis doſibus aslumtum ceu remedium domesticum, et ruri et in hac urbe pertinacisſimas F. I. cum labe pituitoſa, Cort. Per. neutiquam cedentes, ſuſtulit.

5. Si intempestive cortice ſuppresſa fuerit febris, indeque infarctus et obſtructiones ortae ſint, Doct. AMELUNG (*hhhhh*) ſuadet exhibere parcas doſes ſulphat. ſodae, quo facto febris ſaepe rediit.

6. Pleraeque autem ſequelae, uti ſaepe vidimus, non ab intempestivo et praepostero C. P. uſu, ſed ple-

---

(*hhhhh*) In HUFEL. Journal.

plerumque a neglecto temporius hoc divino remedio profluunt; hinc, ſive morbus adhuc perduret, ſive paroxysmi jam cesſaverint, ad atoniam illam tollendam, et humorum vappiditatem corrigendam egregie vis C. P., tum roborans et tonica, tum etiam ſpecifica et antifebrilis conducit. Cortex autem pro vario morbo vel cum ſtimulantibus volatilibus, aromaticis, vel aliquando etiam fortioribus antisepticis, acidis, adſtringentibus combinari debet.

7. *Hydrops* F. I. ſubſequens, pro variis ejus conditionibus varia ratione tractandus est. Si infarctus et obstructiones pituitoſi copulentur, hae prius reſolventibus, enematibus &c. tollendae ſunt; aliquando hic etiam fortiora conducunt, uti *gummata ferulacea*, *antimonialia*, *mercurialia*, &c. Sublatis autem ſordibus, rarius curari ſe patitur hydrops, quin ſimul Cort. Peruv. ſubjugetur febris. Saepe quoque nulli infarctus cum hydrope copulantur, tumque protinus C. Peruv. auferri debet febris; remedia enim illa, quae vulgo ad hydropem tollendum adhibentur, nullum in hydropem exſerunt effectum, ſi non prius C. P. paroxysmus tollatur. Aliquando ſolo C. P. non tantum F. I., ſed ſimul etiam hydrops tollitur, et naturae ſolis viribus aquae educuntur; ſaepe tamen natura adjuvanda est, et cum C. P. *Diuretica*, acetit. ammon. liquid., aeth. nitr. alcoh., muriatic. alcoh., ſcillitica, digitalis purp., balſama naturalia &c., illud etiam commendante

WERLHOFIO, combinanda ſunt. ——Hoc anno, eductis aquis, in Noſocomio egregie ſatisfecit *Muria Ferro-Amoniacale*, quod antea adeo bonum effectum non praeſtiterat (*iiiii*). Decoctum ligni campech. quoque ad inteſtina roboranda egregium effectum praeſtitit.

8. *Symptomata nervoſa* et *maniaca*, quae aliquando huic febri ſuccedunt, debiltatis effectus ſunt, et, illud egregie jam monente SYDENHAMO (*kkkkk*), non debilitantibus, ſed roborantibus, tolluntur; imo cortex peruv. caeteraque tonica, ſimul cum aëris liberioris uſu, hic optimos praeſtant effectus.

§ LXXVII.

Quod ad *Diaetam* tandem attinet. In genere monendum, quod hic extrema quaevis ſint vitanda, et nec nimis ſit debilitandum corpus, nec nimis cibis ſit onerandum. Regulae generales hic vix dari posſunt. Si F. I. breviorem habeat apyrexiam, cum phlogoſi vel ſordibus copuletur, et morbus recens ſit, non multum cibi dandum est, ſed leviora et eupepta tantum concedenda alimenta vegetabilia, juscula tenuïa cum oleribus cocta, fructus horraei bene maturi cocti &c. Sin vero morbus diutius duraverit, et longior a-

(*iiiii*) Cl. PROMOT. l. c. p. 77.

(*kkkkk*) Op. Univ. p. 101. &c.

apyrexia ſit, utique vires diaeta nutriente, ſed eupepta, et viribus ventriculi accommodata, ſunt reſocillandae, et carnes albae macrae, ova, quaevis legumina farinacea, et vinum aqua remixtum est commendandum. Hic autem etiam multum conſuetudini est tribuendum. —— Aliquando in adſuetis diaeta durior, haleces, caro ſuilla fumo indurata, optimum exhibet cardiacum, quae in delicatioribus, et debili ventriculo inſtructis, veneni inſtar agunt.

Oportet tamen hic omnino obſervare, quod indigestio quaevis ſit evitanda, et hinc ante accesſum quoque ventriculus cibis non ſit onerandus; tunc enim accesſus fit gravior, et anxietas magna oritur. Vitandi autem ſunt quoque cibi dibilitantes et nimis refrigerantes, uti fructus horraei nimia copia ingesti, uti et acetaria, quae facile recidivas producunt. Nihil autem certius recidivas excitat, quam adhibitio piscium marinorum, praecipue aſellorum minorum et majorum, qui aliquando febrem per ſeptimanas evanidam adhuc revocant.

Porro obſervanda est diaeta febricitantibus, ratione ſomni, exercitii mentis et corporis, debita. Somnus hinc non nimis ſit longus, ſufficiens tamen ad vires C. refocillandas. Caveat aeger ne tempore accesſus dormiat, vel paroxysmus aegrum dormientem offendat; tunc quippe gravior esſe ſolet, notante illud v. HOVEN (*lllll*). Aeris liberioris admisſio, utique in-

(*lllll*) l. c. T. II. p. 197.

inter accesſus est commendanda; caveat tamen aeger ne ſe imprudenter aurae frigidae vel boreali committat; impedita quippe perſpiratio frequentisſime recidivam creat. Quoties itaque exercitium in aëre liberiori capiat, ſe bene tegat, evitetque aërem humidum vel et ſiccum et frigidum, et horis antemeridianis prae pomeridianis ambulet.

Caeterum quaevis debilitantia, veneris exercitium, labores corpus et mentem exhaurientes, et ſtudia nimia ſedulo vitanda ſunt.

THE.

T H E S E S.

I.

Licet haud negandum ſit dari pleuritides et peripneumonias, a recentioribus dictas asthenicas, veteribus BAGLIVIO *aliisque probe distinctas, tamen haud credimus eorundem numerum adeo eſſe inſignem, ut plurimae ad hancce familiam pertineant, atque hinc in genere venaeſectionem adeo in hisce morbis eſſe reformidandam. Credimus potius nimis hoc tempore in hisce morbis venaeſectionem negligi, et hinc illos morbos vere ſthenicos, vel asthenicos fieri, vel in ſuppurationem, ſaepe letalem, terminari.*

II.

Hydropis cauſae cum variae ſint, non una eademque curatio in omni hujus morbi ſpecie convenit. Peſſime itaque agunt, qui hunc morbum graviſſimum empirice diureticis, purgantibus &c. curare ſatagunt.

III.

Palliativum plethorae remedium est VS, *non vero curativum.*

IV.

IV.

Nec et Cl. ACKERMANNI *ſententiae noſtrum adjicimus calculum, qui ad nimiam tollendam plethoram talia ſuadet, quae vires digeſtrices turbant; ſic enim longe graviora oriuntur mala.*

V.

Morbi dantur fluidorum, aeque ac ſolidorum, et vis vitalis primarii.

VI.

Autocheiria non ſolum propriae corporis diſpoſitioni, ſed et aëris influxui ac endemicae cauſae videtur adſcribenda.

VII.

Miramur, methodum parandi Murias Barytae, decompoſitione ſulphatis Barytae per Murias Calcis, quae inde a decem annis in hac ſchola ſeſe probavit (*vid.* K. en Letterbode 1799. No. 279), *in officinis nondum eſſe receptam.*

VIII.

Solutio muriatis hydrargyri, vulgo Liquor SWIETENII, *melius paratur ſolvendo murias hydrargyri aqua depurata, alcohole commixta, quam ſpiritu frumenti.*

IX.

Salivae qualitas, qua tantam aëris quantitatem ſuscipit, quae, cum cibis manducatis commixta, in ventriculum deducitur, ad digestionem juvandam contribuere videtur.

X.

Praecipuus uſus gangliorum in nervis obviorum esſe videtur, ut nervorum communicationi atque diviſioni inſerviant.

XI.

Motum arteriarum coronariarum cordis diachronum esſe cum motibus aliarum arteriarum, ſtatuimus.

XII.

In partu difficili, praecipue ab inaequali ratione diametrorum matris pelvim inter et caput infantis dependente, Forcipem, ad eum abſolvendum, Vecti praeferimus.

XIII.

Si partus absque matris vel infantis interitu abſolvi nequeat, priori parcendum est.

XIV.

Pesſima est conſuetudo, qua mulieres mox post par-

tum

tum, ad prolapsum uteri &c. praeveniendum, per aliquod tempus profunde inspirant.

XV.

Hernias cum vicinis partibus concretas, non incarceratas, praestat suspensorio sustentare, leniter tantummodo resistente, quam earum ulteriorem progressum brachertis prementibus impedire, vel Herniotomiam ad introductionen faciendam instituere.

XVI.

Cauterisationem ad cariem curandam non solum non utilem, verum plerumque valde nocivam arbitramur.

XVII.

In carie, uti vocant, sicca, pinguia emollientia, eaque quae pus producere valent stimulantibus, in quavis carie laudatis, verum plerumque nocivis, anteponenda puto.

E R R A T A.

Pag. 3.	linea 8,	F. J.	lege F. I. et ſic ubique.
— 9.	— 19,	paullatum	— paulatim.
— 12.	— 9,	obſervavimus	— obſervaverimus.
— 23.	— 1,	quae	— qui.
— 36.	— 25,	cincti	— curati.
— 38.	— 5,	Phthyſis	— Phthiſis.
— 42.	— 15,	formandum	— formandam.
— 48.	— 3,	quaeramur	— quaeramus.
— 48.	— 5,	fundamento	— fundamento innixas.
— 48.	— 13,	conſuderint	— confuderint.
— 50.	— 3,	alteratae	— alterata.
— 61.	— 7,	paucum	— parum.
— 64.	— 4,	ipſa	— ipſe.
— 65.	— 21,	hac	— hoc.
— 69.	— 14,	apyrectico	— apyretico.
— 73.	— 4,	patuit	— potuit.
— 76.	— 13,	corpori-infectus	— corporis-confectus.
— 78.	— 4,	continua ſit	— continuabat.
— 79.	— 5,	niſum	— niſus.
— 80.	— 9,	debita	— diluta.
— 80.	— 9,	minori	— minuta.
— 80.	— 16,	corrigendas-pravas	— corrigendos-pravos.
— 80	— 19,	FERRIAR	— FOWLER.
— 80.	— 20,	FERRIARI	— FOWLERI.
— 84.	— 16,	Clinio	— Clinico.
— 85.	— 13,	ſummus	— ſumus.
— 90.	— 3,	*Muria*	— *Murias.*

Cetera ipſe, quaeſo, corrigat Lector.